QUAESTIONUM PONTIFICALIUM SPECIMEN

SCRIPSIT

RUDOLFUS PETER

ARGENTORATI
APUD CAROLUM I. TRUEBNER
MDCCCLXXXVII

QUAESTIONUM PONTIFICALIUM SPECIMEN

DISSERTATIO PHILOLOGA

QUAM

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE WILHELMA ARGENTINENSI

RITE OBTINENDORUM CAUSA

SCRIPSIT

RUDOLFUS PETER

SILESIUS

ARGENTORATI

APUD CAROLUM I. TRUEBNER

MDCCCLXXXVI

G. Otto's Hof-Buchdruckerei in Darmstadt.

AUGUSTO REIFFERSCHEID

SACRUM

Pontificiorum librorum fragmenta, quae per scriptorum volumina aut palam dispersa essent aut laterent, colligere primus molitus est is, qui simul universi Romanorum iuris sacri leges investigare ac disponere aggressus est, Julius Athanasius Ambrosch. qui, quid in hac provincia praestandum esse sibi videretur, in libello academico, quem a. 1840 de sacris Romanorum libris Vratislaviae edidit[1], declaravit, sed quominus consilium exsequeretur praematura morte prohibitus est: itaque praeter illum libellum et Quaestionum pontificalium prooemium, caput I, II, III (Vratislaviae 1847. 1848. 1850. 1851) nihil de his rebus foras edidit. post Ambroschium Reifferscheidio v. c. auctore Quaestiones de libris pontificiis scripsit Paulus Preibisch (diss. Vratisl. 1874), ipsa fragmenta librorum, quae congessit, paulo post publici iuris fecit (progr. Tils. 1878). cum is vero totam hanc quaestionem magis incohasse, quam absolvisse videretur[2], Reifferscheidi praeceptoris carissimi scholis, quas in universitate Viadrina de Romanorum rebus sacris habere solebat, et privata exhortatione ductus pontificiorum librorum fragmentis colligendis operam navavi. horum nunc studiorum specimen propono quod versatur in adumbrando librorum pontificiorum genere quodam, ad quod recte animum attendere viri docti adhuc fere neglexerunt. etenim cum isti libri a scriptoribus plerumque librorum pontificiorum pontificaliumve vel commentariorum pontificum nominibus promiscue nuncupentur[3], tamen certis scriptorum

[1] Observationum de sacris Romanorum libris particula I. (index schol. Vratisl.)

[2] cfr. Reifferscheidi censuram in Jahresber. üb. d. Fortschr. d. class. Alt.-Wiss. XXIII (1880) p. 274.

[3] locorum conspectum dabit M. Voigt, Über die Leges regiae, in Act. societ. scient. Saxon. class. phil.-hist. VII (1876) p. 647 sqq.

testimoniis declaratur universi iuris divini thesauri, quem pontifices conscriptum habebant, iis temporibus, quibus a scriptoribus expilari coeptus est, peculiares quasdam partes ab ipsis pontificibus distinctas esse. de indigitamentis hoc luculenter testatus est Servius georg. I 21 *quod autem dicit 'studium quibus arva tueri', nomina haec numinum in indigitamentis inveniuntur, id est in libris pontificalibus, qui et nomina deorum et rationes ipsorum nominum continent*[1]. alius generis memoria apud Festum p. 286 s. v. 'recto fronte' extat: *etiam in commentariis sacrorum pontificalium frequenter est hic ovis*, quocum coniungenda videntur p. 141 s. v. 'molucrum': *Cloatius [et Aelius] etiam in libris sacrorum molucrum esse aiunt lignum quoddam quadratum, ubi immolatur*, p. 161 *malluvium lacum in commentario* (sic A. Aug. in mg., Urs.; *in commentarium* F) *sacrorum significat, manus qui lavent*, p. 165 s. v. 'nectere': *etiam in commentario sacrorum usurpatur hoc modo 'pontifex minor ex stramentis napuras nectito' id est funiculos facito, quibus sues adnectantur*, p. 360 *tauri verbenaeque in commentario sacrorum significat ficta farinacea.* his igitur omnibus locis non grammatici alicuius commentarios, sed ipsorum pontificiorum librorum genus significari per se, puto, apparet. quamquam Schweglero, Hist. rom. I p. 31 sq. et Eduardo Luebbert, Commentat. pontific. (Vratisl. 1859) p. 80 non concedendum est ius pontificium per materiarum genera ita digestum fuisse, ut quasi perfectum eius σύστημα efficeretur: nam talis codicis, si re vera extitisset, notitiam apud scriptores, qui sacra populi Romani tractaverunt, certe non desideraremus. at id iure quaeritur, possintne alii libri sacri a scriptoribus commemorati ad pontificum monumenta iusta ratione referri.

---

commentarios pontificum a libris non diversos fuisse cum Reifferscheidio censeo, cuius sententiam Preibisch quoque in Quaestionibus p. 5 amplexus est, copiose demonstravit Paulus Regell, De augurum publicorum libris part. I (diss. Vratisl. 1878) p. 30 sqq.

[1] de indigitamentis cf. praeter Ambroschium, Über die Religionsbücher der Römer (Bonn 1843), imprimis Marquardti in Enchir. ant. rom. VI² p. 7 sqq. expositionem a Georgio Wissowa adnotationibus auctam.

iam cum apud Gellium n. a. X 15, 1 haec extent *caerimoniae impositae flamini Diali multae, item castus multiplices, quos in libris, qui de sacerdotibus publicis compositi sunt, item in Fabii Pictoris librorum primo scriptos legimus, unde haec ferme sunt, quae commeminimus* e. q. s., hoc loco pontificiorum librorum certum genus suo nomine appellari optime opinati sunt Ambrosch, Observat. p. 13 adnot. 59, Luebbert l. l., quorum bona inventa nunc paene neglecta iacent, cum is, a quo hodie rerum populi Romani sacrarum notitia a plerisque peti solet, Joachimus Marquardt in Enchirid. antiq. rom. VI[2] p. 300 adnot. 1 praefracte negaverit istos libros inter pontificios fuisse[1]. sed ut Ambroschio et Luebberto patrocinemur movet imprimis Fabi Pictoris nomen cum librorum, qui de sacerdotibus publicis compositi sunt, memoria apud Gellium ita coniunctum, ut Pictorem ea, quae de caerimoniis et castibus flaminis Dialis et flaminicae deinceps afferuntur, e libris istis desumpsisse manifestum sit. Fabi autem 'librorum primum', quem Gellius nominat, diu cognitum est[2] non posse non esse primum eorum, quos de iure pontificio illum scripsisse veteres testantur[3]: qui idem liber a Gellio n. a. I 12, 14 inducitur *in libro primo Fabii Pictoris, quae verba pontificem maximum dicere oporteat, cum virginem capiat, scriptum est.* iam cum et constet ante Pictorem neminem e penetralibus pontificum quidquam, ut inde libros de iure pontificio conderet atque divulgaret, deprompsisse et

---

[1] 'Waren dies auch nicht Pontificalbücher, sondern Zusammenstellungen aus denselben, so gab es doch auch in dem Archiv libri sacerdotales und unter den kaiserlichen Beamten einen proximus a libris sacerdotalibus. C. J. L. VI 8878.' similiter Leo, De Plutarchi quaest. rom. auct. (Halis Sax. 1864) p. 43: 'sunt igitur libri iure consultorum, quibus de iure sacerdotum sive de iure pontificio expositum erat'.

[2] cf. Leo l. l. p. 43.

[3] Fabium Pictorem hunc cum Petero, Historicorum rom. reliquiae I p. CLXXVIII sqq., aliis puto esse eundem, qui latinos annales condidit, eo Pictore, qui historiam romanam graece conscripsit, iuniorem illum quidem. fragmenta librorum de iure pontificio collecta invenies apud Peterum l. l. p. 111 sqq. et Huschkium, Jurisprud. anteiust.[4] p. 2 sqq.

Fabius in pontificum disciplina describenda tanta fuerit diligentia, ut ex eius fragmentis ipsi pontificii libri loqui videantur[1], non potest dubium esse, quin Fabius, cum pontificum monumenta adiret, inter ea istos quoque de quibus loquimur libros invenerit. deinde earum flaminis Dialis et flaminicae caerimoniarum, quas Pictor commemorat, nonnullae apud Interpolatorem Servi redeunt (cf. p. 23) et ab eo disertis verbis ad ius pontificium referuntur[2], ut etiam hinc de Fabio eiusque fonte coniectura nostra confirmetur. iam vero non licet longius progredi, nisi istorum librorum imaginem animo nobis conceperimus. invenerat igitur Fabius in pontificum de sacerdotibus libris perscriptum, a quibus rebus flamini Diali cavendum esset (fr. 24 a, b, d), quid facere ei non liceret (fr. 24 c, l), qua sanctitate domus eius esse deberet (fr. 24 e, f, p, r), quid in vestibus ei observandum (fr. 24 g), qua sanctitate ipsum esse oporteret (fr. 24 h, o), qua ratione corpus curandum esset (fr. 24 i, n), quas res eum nec nominare nec videre nec tangere fas esset (fr. 24 k, q, v), qui ritus in lecto eius custodiendus esset (fr. 24 m), quem locum in conviviis obtineret (fr. 24 s), quibus solis condicionibus flamonio fungi liceret (fr. 24 t), qua sanctitate matrimonium eius coli deberet (fr. 24 u). praeterea in libris illis eaedem fere caerimoniae flaminicae Diali praecipiebantur, ad quas accedebant aliae, quas nimirum seorsum observabat, veluti quo escendere ei non liceret (fr. 46 c), de vestimentis aliae (fr. 46 a, b), aliae de corporis cultu (fr. 46 d). quae si sub unum conspectum colliguntur, in aperto est pontifices in libris his omnes eas normas accurate descriptas habuisse, ad quas flamen Dialis et flaminica vitam dirigere deberent. ut vero haec imago accuratius perficiatur, idem Fabius Pictor nobis auctor est. cum is teste Gellio n. a. I 12, 14 in eodem de iure pontificio libro, in quo de flaminis et flaminicae caerimoniis disseruit, verba quibus pontifex maximus virginem

---

[1] cf. Fabi fragmenta apud Non. p. 544 (p. 113 n. 7* Pet., p. 4 n. 7 H.) et p. 223 (p. 113 n. 8* P., p. 4 n. 8 H.) et Macrob. sat. III 2, 3 (p. 113 n. n. 4* P., p. 3 n. 2 H.) servata.

[2] fr. 24 f, h, q; cf. fr. 15. 17. 27. Ambrosch, Quaest. pont. prooem. p. 6.

Vestalem capiebat attulisset, in propatulo est eum in illo libro de virginibus Vestalibus disputasse. cuius disputationis fontem necessarium est eundem nos suspicari atque illum, ex quo de flamine ac flaminica leges sacras hausit, si quidem Fabium, quem gravissimum iuris pontificii auctorem esse supra significavi, consentaneum est de Vestalibus explicantem a pontificum libris non recessisse. iam vero Pictoris beneficio affirmo nos id quoque discere in libris qui erant de publicis sacerdotibus etiam Vestalium sacerdotii iura exposita fuisse: quod me non temere pronuntiasse putabis, si Fabio libri de iure pontificio primi fragmentum auctoritati eius nunc detractum restituero. nempe Gellius, cum libri primi caput duodecimum totum virginum Vestalium caerimoniis iuribus religionibus describendis dicaret, capite ineunte ipse auctorem, quo usus est, appellavit *qui de virgine capienda scripserunt, quorum diligentissime scripsit Labeo Antistius* e. q. s., librum eius indicavit sub finem capitis (§ 18) *praeterea in commentariis Labeonis, quae ad duodecim tabulas composuit, ita scriptum est* e. q. s.: ut totum hoc caput Labeoni deberi veri sit simillimum[1]. Antistius igitur, cum eam duodecim tabularum partem, quae erat de virginibus Vestalibus[2], commentario illustraret, id ita persecutus est, ut interpretationem suam docta de capiendis Vestalibus expositione distingueret. hac in re illud est maximum, quod altero loco Gellius Labeonem

[1] opinionem Zimmerni, Gesch. d. roem. Privatrechts I p. 313 adn. 5, qui Gellium hoc caput e Masuri Sabini libro de iure civili secundo desumpsisse existimat, Lotharus Ruske, De A. Gellii noct. attic. fontibus quaest. selectae (Vratisl. 1883) p. 63 recte videtur repudiasse hanc ob causam, quod Masurium Capitonis asseclam Labeonem summae diligentiae laude ornaturum fuisse vix credibile est. Labeonem vero quominus ea, quae Gellius ex eo desumpsit, in libris de pontificio iure scripsisse cum Huschkio, Jurispr. anteiust.[4] p. 112 sq. et Alfredo Pernice, Marcus Antistius Labeo I (Halle 1873) p. 41 putem, impedit me capitis Gelliani indoles, quae commentaria duodecim tabularum quasi digito monstrat. quamquam hoc Mercklinium, Die Citiermethode und Quellenbenutzung des A. Gellius in den Noctes atticae (annal. philol. suppl. III p. 654 sq.) non fugit, tamen statim in aliam abiit sententiam totum caput Ateio Capitoni, qui in § 8 in transcursu commemoratur, adsignans.

[2] Legis XII tabular. rel. ed. R. Schoell p. 126 tab. V 1; Bruns, Fontes iur. Rom. ant.[4] p. 21 tab. V 1.

de capienda virgine diligentissime scripsisse ait, altero e Fabi Pictoris libro primo etiam carmen captionis adfert. quae cum ita sint aut egregie fallor aut Labeo omnia, quae de hac re protulit, a Fabio mutuatus est: is vero, quae est eius in rerum sacrarum enarratione praestantia, pontificum doctrinam expressit libris de sacerdotibus publicis nimirum mandatam. iam vide novum horum librorum argumentum patefactum, quod versatur in exploranda aetate et gente eius, quae virgo Vestalis capienda est (fr. 65 a, b, d, e, h), in definiendis corporis virtutibus vitiisque, quae in ea requiruntur vitanturve (fr. 65 c), in exponendo carmine, quo a pontifice capiatur (fr. 64), in enumerandis excusationibus quibus sacerdotii officio liberantur (fr. 65 f, g, h), denique in explicandis iuribus earum, quae captae sunt (fr. 66 a, b). iam vero his cognitis, si quid video, perspicuum fit, quam ad rem pontifices peculiares de sacerdotibus libros conscriptos habuerint, scilicet ut hi iis perpetuam et accuratam omnium caerimoniarum, castuum, religionum, quae in sacerdotibus publicis observandae essent, notitiam suppeditarent. cuius rei haud obscura significatio agnoscitur apud Dionys. Halic. II 73 *τάς τε ἀρχὰς ἁπάσας, ὅσαις θυσία τε καὶ θεραπεία θεῶν ἀνάκειται, καὶ τοὺς ἱερεῖς ἅπαντας ἐξετάζουσιν* (sc. pontifices), *ὑπηρέτας τε αὐτῶν καὶ λειτουργούς, οἷς χρῶνται πρὸς τὰ ἱερὰ, οὗτοι φυλάττουσι μηδένα ἐξαμαρτάνειν περὶ τοὺς ἱεροὺς νόμους.* hic enim locus ita explicandus est, ut Dionysius affirmet pontifices custodire, ne caerimoniarum leges sacerdotes violent: quod profecto fieri non potuit, nisi has religiones minutatim enotatas habebant. ad auctoritatem huius descriptionis anno p. C. n. 22 Servius Maluginensis flamen Dialis provocasse videtur, cum Asiam provinciam sibi postularet[1]. qua de re cum Tacitus ann. III 58 haec narret *inter quae provincia Africa Junio Blaeso prorogata Servius Maluginensis, flamen Dialis, ut Asiam sorte haberet, postulavit, frustra vulgatum dictitans non licere Dialibus egredi Italia, neque aliud ius suum quam Martialium Quirinaliumque flaminum: porro, si hi duxissent provincias, cur Dialibus id*

[1] cf. de Servi Maluginensis causa Ambrosch, Quaest. pontif. III p. 7 sqq.

vetitum? nulla de eo populi scita, non in libris caerimoniarum reperiri . . . privatis olim simultatibus effectum, ut a pontificibus maximis ire in provincias prohiberentur, librorum caerimoniarum, i. e. librorum qui erant de caerimoniis, nomine pontificum de sacerdotibus libros a Tacito nuncupari existimo: certe ex his desumpsit Tiberius pontificum decretum, quo Maluginensis sive impudentiam sive ignorantiam refutavit '*quotiens non valitudo adversa flaminem Dialem incessisset, ut pontificis maximi arbitrio plus quam binoctium abesset, dum ne diebus publici sacrificii neu saepius quam bis eundem in annum*' (Tac. ann. III 71, fr. 34)[1].

ut vero nunc de ambitu librorum de sacerdotibus quaeramus, primum illud tenendum est, quod Fabius eos de sacerdotibus publicis compositos esse dicit. hoc nomen apud pontifices sollemne fuisse in Livi historiis ea, quae probabili ratione ad annales maximos referuntur, diserte testantur, veluti XXVI 23, 7 de decemviri sacrorum, pontificis, auguris mortibus his verbis narratur *sacerdotes publici aliquot eo anno demortui sunt*, cf. XLII 28, 10 *eo anno sacerdotes publici mortui L. Aemilius Papus Xvir sacrorum et Q. Fulvius Flaccus pontifex*[2]. apertum autem est sacerdotes publicos omnes eos fuisse, qui sacerdotio publica populi Romani auctoritate constituto fungerentur, nempe, si liberae reipublicae tempora respicimus, hos: regem, flamines, pontifices, epulones, virgines Vestales, augures, decemviros sive quindecimviros sacrorum, fetiales, salios, fratres arvales, lupercos, curiones, tribunos celerum, sodales Titios. ex his rex, flamines, virgines Vestales, epulones artissimo vinculo cum pontificum collegio coniuncti erant;

---

[1] cf. p. 25 et de critica decreti ratione commentarium criticum fragmenti 34.

[2] cf. Cic. de domo 1, 1 *cum multa divinitus, pontifices, a maioribus nostris inventa atque instituta sunt, tum nihil praeclarius, quam quod eosdem et religionibus deorum immortalium et summae reipublicae praeesse voluerunt, ut amplissimi et clarissimi cives rempublicam conservarent. quod si ullo tempore magna causa in sacerdotum populi Romani iudicio ac potestate versata est, haec profecto tanta est, ut omnis reipublicae dignitas . . vestrae sapientiae commissa creditaque esse videatur.*

nam regem et flamines ipsum collegium complectebatur [1], virgines Vestales cum flaminibus quasi in potestate patria pontificis maximi vitam degunt [2]. itaque cum de flamine Diali et de flaminica atque de virginibus Vestalibus exploratum sit in libris de sacerdotibus praecepta sacra propagata esse, idem de rege sacrorum, de flaminibus Martiali et Quirinali eorumque uxoribus, de epulonibus [3] ratione illa, qua cum pontificibus coniuncti erant, adiuti assequimur. prorsus vero ab hac communione segregandos esse decemviros sive quindecimviros sacrorum inde colligendum est, quod sacra eorum a prisco ritu romano prorsus aliena erant [4]: reliquorum sacerdotum publicorum caerimonias ac iura ad libros de sacerdotibus pertinuisse certa vestigia probant.

istos libros secundum sacerdotia in singulas partes divisas fuisse per se consentaneum est. at fuisse etiam in illis praecepta, quibus sacerdotibus in universum quae observanda essent sanciretur, Festus p. 249 s. v. 'pura vestimenta' fidem facit, cuius damna quae tulit certa ratione e Paulo p. 248 licet sarcire: *[pura vest]im[enta sacerdotes populi Romani ad sacri]fici[um habere solent, id est non ob]sita, [non fulgurita, non funesta, non maculata] ex h[omine mortuo]* (fr. 3) [5]. neque enim iuste ageremus, si auctorem in aliis, quae ad has quaestiones pertinent, sacerdotia diligenter distinguentem hoc loco sacerdotum nomen commune in locum singulorum sacerdotum admisisse putaremus. huius vestigia pressit Interpolator Servi Aen. IV 683 et XII 169 (fr. 3), nisi quod altero loco de veste linea et purpurea adglutinavit quaedam, quae

---

[1] cf. Cic. de har. resp. 6, 12. Marquardt, Enchir. ant. rom. VI² p. 242 sq.

[2] cf. Marquardt l. l. p. 249 sq. 315.

[3] de his cf. Marquardt l. l. p. 347 sqq.

[4] cf. Marquardt l. l. p. 379 sqq.

[5] cf. adnot. crit. fr. 3. non possum cum Muellero de glossae ambitu consentire; nam cum hic eam etiam post verba *ex h[omine mortuo]* continuari velit duobus versibus subsequentibus, quorum haec tantum extant frustula: *voca* . . . . .
tiata . . . . . ,
equidem puto haec ipsa iam pertinere ad glossam, quae subsequebatur, a Paulo p. 248 sic imminutam *proculato*, *provocato*.

ab hac religione aliena sunt[1]: sed haud abicienda, qualia ad omnes sacerdotes pertinuisse suspicari licet, eum rettulisse, cum Aen. I 329 cautum esse adnotaret, ne sacerdos Apollinis domum ingrederetur, in qua ante quintam diem funus fuisset (fr. 1), fr. 61 demonstrat[2]. neque caret similitudine, quod Laurentius Lydus de mens. I 31 narrat Numam constituisse, ut sacerdotes aeneis cultris, non ferreis tonderentur (fr. 2), si cum Lydo fr. 24 i, quod est de flamine Diali, comparas[3]. caerimoniae autem, quae his praeceptis continentur, tales sunt, ut facile nobis persuadeamus in libris de sacerdotibus publicis eas omnibus sacerdotibus praeceptas fuisse: quales praeterea complures omnibus sacerdotibus a pontificibus praescriptas fuisse proclivis coniectura est, veluti Mercklin (annal. philol. nov. LXXV, 1857 p. 632) et Marquardt (Enchir. ant. rom. VI² p. 316 adn. 7) merito suspicati sunt omnes sacerdotes corporis vitiis carere debuisse, quod in virginibus Vestalibus (fr. 65 c) et in curionibus (fr. 86) exigebatur. consulto a fragmentorum collectione seclusi Fest. p. 313 *stroppus est, ut Ateius Philologus existimat, quod Graece στρόφιον vocatur et quod sacerdotes pro insigni habent in capite*, cum ad quos sacerdotes id pertineat obscurum sit[4].

his, quae generatim omnibus sacerdotibus praecipiebantur, subnectendum visum est fr. 4, quo ordo sacerdotum proponitur: quod ut pontificiis de sacerdotibus commentariis attribuam certo horum librorum testimonio adductus sum. super flaminem enim Dialem in conviviis nisi regem sacrifi-

---

[1] Interpolatoris Servi cum Festo concentum, quo saepe ipsa Festi verba ab illo exprimantur, inde repetendum esse, quod Interpolatoris auctor re vera libros de verborum significatu expilaverit, infra p. 24 exponam.

[2] de fide Interpolatoris eiusque auctoribus infra p. 23 sqq. disputatum est.

[3] quod Bruns, Fontes iuris rom. ant.⁴ p. 9 n. 7 hoc praeceptum inter leges Numae rettulit, nulla id idonea causa fecit, cum de sacerdotibus sancire a legibus Numae plane alienum esset.

[4] nimis dubium est, quod Mueller ad Paul. p. 204 *pellirem galerum, quia fiebat ex pelle* adnotat 'priscum, ut videtur, vocabulum, quo sacerdotum galerus significabatur'.

culum haud quemquam alium accumbere fas erat (fr. 24 s): ac vide, quam bene hoc concinat cum iis, quae in fr. 4 leguntur *itaque in [conviviis]*[1] *solus rex supra omnes accubat; sic et Dialis supra Martialem et Quirinalem, Martialis supra proximum, omnes item supra pontificem*, ut haud temerarium esse videatur existimare Verrium de ordine sacerdotum exponentem pontificum doctrinam referre[2]. quod idem iudicandum esse de Fest. p. 154 s. v. 'maximae dignationis' iam hic ostendam. nam cum ibi narretur maximae dignationis inter quindecim flamines esse flaminem Dialem et cum ceteri[3] discrimina maiestatis habeant minimae dignationis esse flaminem Pomonalem, *quod Pomona levissimo fructui agrorum praesidet pomis* (fr. 11), hoc manifesto redit ad illud, quod Festus fr. 4 affirmavit, sacerdotum ordinem d e o r u m ordine aestimari: talem vero ordinem quis praeter pontifices, sacrorum populi romani iudices et arbitros summos, potuerit constituere equidem haud assequor. neque desunt certa vestigia quibus indicetur dignitatis sacerdotalis gradus etiam in pontificum collegio et in virginibus Vestalibus constitutos fuisse; ad illud pertinet Fest. p. 161 *minorum pontificum maximus dicitur, qui primus in id collegium venit, item minimus, qui novissimus* (fr. 62), de Vestalibus inde licet coniecturam facere, quod sacrorum lex apud Interpol. Serv. ecl. VIII 82 servata virgines Vestales t r e s m a x i m a s ex Nonis Maiis ad pridie Idus Maias alternis diebus eas spicas adoreas

---

[1] 'conviviis' optime ab Aldo Manutio additum est.

[2] cum Festi glossa sponte in duas partes discedat, quarum prior clauditur verbis *omnes item supra pontificem*, posteriore contineri grammatici ad priorem interpretamenta declarant verba *Dialis*, *quia universi mundi sacerdos*, *qui appellatur Dium*, de quibus ut de tota parte altera, quae cum priore non consentire videtur, copiose disseruit Ambrosch, Quaest. pont. cap. I p. 3 sqq. et post eum Mercklin, Über die Anordnung und Eintheilung des röm. Priesterthums, in Bull. academ. Petropol. class. histor.-philol. X (1853) p. 283 sqq. sed totam hanc disceptationem hic licet omittere, quippe qua fragmenti fidei nihil derogetur: denique praeclaro Mercklini l. l. p. 289 invento is, quem desideramus, sensus recuperatus est.

[3] codicis Farnesini scripturam 'cetera' a Muellero recte in 'ceteri' correctam esse ipse locus demonstrat.

colligere iubet, e quibus molam castam fieri necesse sit. in his igitur, cum deorum ordo videlicet non adesset, respiciebatur annorum in sacerdotio actorum series[1].

cum iam ad singulos sacerdotes ventum sit, ex ordine sacerdotum primum locum regem reginamque sacrorum tenere par est. itaque quod Gaius inst. I 112 testatur reges sacrorum nisi ex farreatis natos non legi ac ne ipsos quidem sine confarreatione sacerdotium habere posse (fr. 5) et quod Interpol. Serv. Aen. II 2 asseverat non licuisse supra regem sacrificulum quemquam in caenis accumbere (fr. 6), ea nemo puto dubitabit pontificum libris adsignare, si cum fr. 12. 15. 4. 24 s contulerit. deinde fragmenti 7 cautiones apte, ut de fonte certiores fiamus, comparantur cum fr. 31, de quo p. 18 disputatum est. quae praeterea fr. 8. 9. 10 regi et reginae praecipiuntur[2], ea ad libros, qui de sacerdotibus publicis compositi erant, redire facili opera caerimoniis flaminis flaminicaeque Dialis illustratis intellegetur[2].

perquam enim felici casu factum est, ut de flamine tanta legum sacrarum copia servata sit, quanta praeterea in nullo sacerdotio praesto est. cuius opulentiae primarium auctorem Fabium Pictorem esse, cuius copiae Gelli capite contineantur, supra ostendi. Gellius autem ipsis Fabi de iure pontificio commentariis non usus est, sed totum caput e Masuri Sabini, quem in § 18 nominat (cf. fr. 35), nescio quo libro desumpsit[3]. num is re vera Pictorem adiisse putandus sit postea diiudicabitur: nunc de iis scriptoribus, qui praeter Masurium de flamine Diali flaminicaque scripserunt, disputandum est. inter quos Varronem fuisse luculento Gelli n. a. X 15, 32

---

[1] curio maximus (cf. supplementum de curionibus) prorsus simili ratione videtur appellatus esse.

[2] cum flaminum virginumque Vestalium caerimoniis veri simile fieret etiam de aetate, gente, corporis vitiorum immunitate, nominatione, inauguratione, aliis religionibus eius, qui rex sacrorum creandus esset, praecepta in his libris enotata fuisse, neque tamen ipsarum sanctionum quidquam superesset, eos scriptorum locos, unde praeter manifestas iuris sacri reliquias caerimoniarum regis sacrorum notitia quodam modo suppleri posset, fragmentis subiunxi: quem morem in ceteris quoque sacerdotibus observavi.

[3] Huschke, Jurispr. antei.[4] p. 128 n. 28 'ex incertis libris'.

testimonio scimus: *verba M. Varronis ex secundo rerum divinarum super flamine Diali haec sunt 'is solus album habet galerum, vel quod maximus est vel quod Iovi immolata hostia alba fieri oporteat'* (fr. 19). inde efficitur Varronem in rerum divinarum libro secundo, quem Augustinus de c. d. VI 3 de pontificibus fuisse affirmat, etiam flaminem Dialem amplexum esse [1], ut merito eidem libro adiudicandum sit Varronis de usu fabarum flamini Diali interdicto fragmentum a Plinio n. h. XVIII 119 servatum (fr. 24 k). quibus tertium, si quid video, accedit, quod Plinius n. h. XXVIII 146 flamini ait equum non licere tangere. quamquam enim ex auctorum indice haud perspicitur Plinium hoc loco Varronem adhibuisse [2], tamen propter alterum locum, quo Varronis nomen addidit, etiam hic probabiliter Varronis usus deprehenditur. iam si ea, quae Varro tribus his fragmentis de flamine protulit, cum Pictoris fragmento comparamus, evidenter inter se consentiunt in fr. 24 a et k: de albogalero apud Fabium nihil legimus. at de hoc Varronianis admodum similia inveniuntur apud Paul. p. 10 s. v. 'albogalerus' (fr. 19); itaque de Festo eiusque epitomatore Paulo necesse est anquirere [3]. Festi

---

[1] flaminem Dialem in collegio pontificum fuisse p. 12 dixi.

[2] cf. Brunn, De auctorum indicibus Plinianis diss. isagogica, p. 36.

[3] cum in describendis flaminum et flaminicarum caerimoniis scriptores modo accurate flaminis flaminicaque Dialis ceterorumque flaminum nomina ponant, modo nude de flamine flaminicaeque vel de flaminibus flaminicisque loquantur, praeviam hoc loco de hac re adnotationem, quae in totam de flaminiis caerimoniis quaestionem valeat, absolvere placet. flaminis nomine per se commemorato Dialis ubique designatur, veluti Plin. n. h. XXVIII 146 (fr. 24 a); Interpol. Serv. Aen. III 607 (fr. 24 h); Plin. n. h. XVIII 119 (fr. 24 k); Paul. p. 93 s. v. 'funebres tibiae' (fr. 24 v); Interpol. Serv. Aen. I 305 (fr. 36), XI 76 (fr. 38). ex iis locis, quibus 'flamines' appellantur, unum qui est apud Interpol. Serv. Aen. I 179 Fabi fragmento demonstratur ad flaminem Dialem pertinere (fr. 24 q), ceteri ad tres flamines maiores iure possunt referri, cum de caerimoniis, quas flamini Diali cum Martiali et Quirinali communes fuisse verisimile est, agant: Serv. Aen. VIII 664, Interpol. Serv. Aen. X 270, Paul. p. 23 s. v. 'apiculum' (fr. 20); Fest. p. 355 s. v. 'tutulum' (fr. 22); Paul. p. 64 s. v. 'commetacula' (fr. 26); Paul. p. 113 s. v. 'infibulati', Interpol. Serv. Aen. IV 262 (fr. 27);

Paulique omnes qui de flaminis flaminicaeque caerimoniis tractant loci indole sua in duo dividuntur genera, quorum altero, quid his sacerdotibus observandum sit, ita commemoratur, ut verbo ei, in quo summa vis inest, pro glossae lemmate posito ipsa praecepta annectantur. ex his nonnulla cum Pictore re etsi non semper verbis conveniunt, nempe haec: Paul. p. 81 s. v. 'equo vehi' (fr. 24 a), Fest. p. 249 s. v. 'procincta classis' (fr. 24 b), Paul. p. 104 s. v. 'iurare' (fr. 24 c), Paul. p. 82 s. v. 'ederam' (fr. 24 k), ubi simul de anulo casso pervioque (fr. 24 d) et de nodo, quem habere flaminem nefas sit (fr. 24 g), agitur; Paul. p. 106 s. v. 'ignem' (fr. 24 e), Paul. p. 87 s. v. 'fabam' (fr. 24 k), Paul. p. 93 s. v. 'funebres tibiae' (fr. 24 v), Paul. p. 92 s. v. 'flammeo' (fr. 46 a). ceteris huius generis fragmentis nova quaedam adduntur, sed ita comparata, ut perspicue e flamonii iure sacro repetita sint. sunt vero haec: Paul. p. 113 s. v. 'infibulati' (fr. 27), Fest. p. 161 s. v. 'mortuae pecudis' (fr. 42), Paul. p. 65 s. v. 'cincta' (fr. 44). alterius generis loci non id curant, ut flaminis et flaminicae religiones explicent, sed posito nomine sollemni vel rei alicuius ad vestitum sacrificiaque flaminis et flaminicae pertinentis vel sacrorum ministri huius nominis significationem et rei usum ministrique officia

---

Paul. p. 19 s. v. 'assidelae mensae' (fr. 28), quem locum propter ipsam flaminum commemorationem non licet cum Ambroschio de sacerdotibus curialibus (Vratisl. 1840) p. 27 ad flamines curiales, quos Paul. p. 64 appellat, referre. 'flamen et flaminica' est flamen Dialis et eius uxor: Interpol. Serv. Aen. IV 103 (fr. 15), IV 374 (fr. 16), IV 262 (fr. 17), IV 263 (fr. 18); 'flamines et flaminicae' de ceteris quoque apte intellegitur: Macrob. sat. III 8, 7 (fr. 30); Fest. p. 348 s. v. 'secespitam', Interpol. Serv. Aen. IV 262 (fr. 51). 'flaminica' est Dialis coniunx: Interpol. Serv. Aen. IV 29, Paul. p. 89 s. v. 'flammeo' (fr. 41); Paul. p. 65 s. v. 'cincta' (fr. 44); Interpol. Serv. Aen. IV 518 (fr. 45); Interpol. Serv. Aen. IV 137 et XII 602 (fr. 46 a); Paul. p. 89 et 92 s. v. 'flammeo' (fr. 46 a); Interpol. Serv. Aen. IV 137 (fr. 46 b), IV 646 (fr. 46 c); Macrob. sat. I 16, 8 (fr. 49). 'flaminicae', quas Fest. p. 161 s. v. 'mortuae pecudis' appellat, certe sunt maiorum flaminum uxores, quamvis Interpolator Serv. Aen. IV 518 in eadem re de 'flaminica' loquatur, idemque cadit in Fest. p. 355 s. v. 'tutulum' (fr. 43), p. 289 s. v. 'rica', licet p. 277 s. v. 'ricae' de 'flaminica' disseratur (fr. 46 b).

demonstrant adiectis saepe praeceptis quibusdam, quae, cum a scriptore haud inventa esse posse ipsa comprobent, de iure sacro recepta sunt. veluti Festus p. 289 s. v. 'rica' accuratissime rettulit, quo modo ricae confici, qua forma et quo colore esse deberent (fr. 46 b), et consimili ratione p. 348 secespita qualis esse oporteret expositum est (fr. 51). haec praecepta Paulus plerumque omisit, interdum tamen aliquid retinuit, ut p. 10 s. v. 'galerus' (fr. 19) et p. 93 s. v. 'flaminius camillus' (fr. 30) et 'flaminia camilla' (fr. 50)[1]. sunt vero omnes, de quibus nunc loquor, loci hi: Paul. p. 10 s. v. 'albogalerus' (fr. 19), p. 23 s. v. 'apiculum' (fr. 20), Fest. p. 205 s. v. 'offendices' (fr. 21), p. 355 s. v. 'tutulum' (fr. 22), Paul. p. 64 s. v. 'commetacula' (fr. 26), p. 19 s. v. 'assidelae mensae' (fr. 28), p. 93 s. v. 'flaminius lictor' (fr. 29), s. v. 'flaminius camillus' (fr. 30), Fest. p. 249 s. v. 'praeciae'[2] et Paul. p. 224 s. v. 'praecias' (fr. 31), Fest. p. 289 s. v. 'rica' et p. 277 s. v. 'ricae' (fr. 46 b), Paul. p. 93 s. v. 'flaminia camilla' (fr. 50), Fest. p. 348 s. v. 'secespitam' (fr. 51). cum igitur Festus vel potius is, cuius libros in epitomen coegit, Verrius Flaccus uberiorem aliqua ex parte librorum de sacerdotibus publicis notitiam nobis suppeditet quam Pictoris fragmentum, non uno nomine refert scire, unde illa in Verri rerum sacrarum promptuarium inlata sint. ut de alterius generis locis prius dicam, Verrius ipse p. 205 s. v. 'offendices' (fr. 21) Titium quendam laudavit, qui offendices nodos esse dixisset quibus apex retineretur et remitteretur; cui opponitur Veranius, qui offendices existimaverit esse coriola in loris apicis. notae sunt Verani quaestiones pontificales, quibus Huschke, Jurispr. anteiust.[4] p. 106 sq. n. 9 haud immerito hanc de offendicibus sententiam attribuit[3]: Titius quis fuerit prorsus ignoratur[4]. quamquam Ursinum rectissime egisse, cum apud Fest. p. 289 s. v. 'rica' (fr. 46 b) *Titi[us]* reponeret, hic Festi locus arguit[5]. tertius his accedit Granius, cuius

[1] cf. p. 27 adnot. 3.

[2] cf. p. 26.

[3] cf. de Veranio Teuffel, Hist. lit. rom.[4] § 199, 6. Huschke l. l.

[4] cf. Teuffel l. l. § 199, 10.

[5] eundem Titium utroque loco testem adhiberi Mueller p. 289 observavit.

nomen neglegentia librariorum vitiatum p. 277 s. v. 'ricae' (fr. 46 b) Ursinus restituit, unde p. 289 *rica est [vestimentum quadratum] fimbriatum pur[pureum, quo flaminicae pro] palliolo mitrave [utebantur, ut G r a n i u s] existimat* legendum esse propter rerum conexum haud improbe suspicari mihi videor. hunc Granium veri simillimum censeo esse Flaccum illum Iuli Caesaris aequalem, qui de indigitamentis et de iure Papiriano libros condidit[1]. neque tamen id possum Huschkio[2] largiri, Granium de flaminicarum ricis in indigitamentorum commentariis exposuisse: immo haud mirum est eundem, qui vetustissima pontificum monumenta interpretatus sit, flaminis Dialis flaminicaeque caerimonias remotae vetustatis speciem prae se ferentes tractasse. denique p. 348 s. v. 'secespitam' (fr. 51) Verrius Antistium Labeonem exscripsit, qui in libris de iure pontificio ista de ratione secespitae protulisse videtur[3]. Verrius igitur huius generis glossas non ex uno fonte hausit, sed e complurium scriptorum libris, in quibus subtiliter de flaminis et flaminicae caerimoniis relatum erat, congessit[4], inter quos Varronis antiquitatum rerum divinarum libros fuisse admodum verisimile est, quamvis Festus nusquam eos nuncupet[5]. neque quidquam lucramur ex similitudine, quam inter Paul. p. 10 s. v. 'albogalerus' et Varronis apud Gell. n. a. X 15, 32 testimonium (fr. 19) intercedere supra[6] animadverti: utrumque enim eodem niti auctore haud minus facile est suspicari quam alterum alterius libros ex-

---

[1] Censorin. de d. n. 3, 2. Paul. Dig. L 16, 144; cf. Teuffel l. l. § 199, 7. Huschke l. l. p. 107 sqq. eum esse Licinianum illum, cuius historiae romanae fragmenta aliquot ante annos reperta sunt, cum Huschkio l. l. p. 107 adn. 2, G. Wissowa, De Macrobii Saturnal. fontibus capita III (Vratisl. 1880) p. 28 adn. 1, aliis consentio.

[2] l. l. p. 109 n. 7.

[3] cf. Huschke l. l. p. 111 n. 11.

[4] id p. 355 s. v. 'tutulum' (fr. 22) quoque apparet, ubi auctorum nomina Festus non adscripsit: *tutulum vocari a i u n t flaminicarum capitis ornamentum . . q u i d a m, pileum lanatum* e. q. s. p. 249 s. v. 'praeciae' (fr. 31) auctoris significationis nec vola nec vestigium extat.

[5] cf. Muelleri index II scriptorum p. 443 s. v. M. Varro.

[6] p. 16.

pilasse[1]. alterius generis loci cum id commune habeant, quod religiones flamini flaminicaeque impositas describant[2], unius auctoris librum, unde sumpti sint, demonstrant similis illum quidem indolis atque Masuri commentarium a Gellio adhibitum, sed pleniorem: cuius auctoris nomen me ne divinare quidem libere profiteor.

a Festo ad Plutarchum pergimus, qui in quaestionum romanarum c. 40. 44. 50. 86. 109. 110. 111. 112. 113 de flaminis flaminicaeque caerimoniis ita explicavit, ut quattuor locis (fr. 23. 24 h, k, r) exceptis e Pictoris fragmento ea, quae fr. 24 litteris a, c, f, k, l, m, q, t, u signavi, et fr. 46 d fere verbotenus graece expressisse videatur. neque tamen certi quidquam inde efficere liceret, nisi Plutarchus ipse ne desperandum nobis esset consuluisset. in quaestione enim 50 nomen eius palam proposuit, ad quem propter rerum cohaerentiam omnia cetera referenda sunt: *διὰ τί ὁ ἱερεὺς του Διὸς ἀποθανούσης αὐτῷ τῆς γυναικὸς ἀπετίθετο τὴν ἀρχήν, ὡς Ἀτήιος ἱστόρηκε* (fr. 24 t). ecce novum iuris flaminii testem Ateium Capitonem[3], qui quantum auxilii nobis afferat nulla interposita mora expediam. etenim casu factum esse, ut quae Plutarchus haberet ab isto petita cum Fabio mirum in modum concinerent, haud puto dixeris: itaque ratio quaedam necesse est intercedat inter Masuri Sabini librum, in quo Gellius Fabi explicationes integras cum ipso eius nomine repperit, et Ateium Capitonem. hanc ut aperiamus, sufficit Plutarchi quaestionem 112 cum Fabi fr. 24 k et l et quaestionem 50 cum Fabi fr. 24 t et u contulisse. dicit enim Plutarchus c. 112 *διὰ τίνα δὲ αἰτίαν οὐδὲ κιττοῦ θιγεῖν ἐφίεται τῷ ἱερεῖ τοῦ Διὸς οὐδὲ ὁδὸν*

---

[1] quod in Varronis loco desideratur illud, quod apud Paulum amplius legitur *cui affigebatur apex virgula oleagina*, non admodum hoc urgendum est, cum minime constet apud Gellium Varronis de albogalero locum plene exscriptum esse.

[2] huic observationi solae glossae Paul. p. 113 s. v. 'infibulati' (fr. 27) et p. 65 s. v. 'cincta' (fr. 44) adversari videntur. sed utroque loco apparet imprudenti epitomatoris manu praecepti speciem pessum datam esse.

[3] nimirum in libris de iure pontificio flaminis caerimonias persecutus est; cf. Huschke l. l. p. 118 n. 12.

διελθεῖν ἀναδενδράδος ἄνωθεν διατεταμένης; Fabius vero: . . *hederam et fabam neque tangere Diali mos est neque nominare. propagines e vitibus altius praetentas non succedit;* Plutarchus c. 50: διὰ τί ὁ ἱερεὺς τοῦ Διὸς ἀποθανούσης αὐτῷ τῆς γυναικὸς ἀπετίθετο τὴν ἀρχήν; . . ὅθεν οὐδ' ἀποπέμψασθαι πρότερον ἐξῆν e. q. s., Fabius: *uxorem si amisit, flamonio decedit; matrimonium flaminis nisi morte dirimi ius non est.* itaque his locis apertum est Ateium in praeceptis disponendis eundem servasse ordinem, qui in Fabi fragmento conspicuus est. ne longus sim: exscripsit Ateius Capito Fabi librum de iure pontificio primum, ipse a Masurio Sabino discipulo expilatus est, qui Fabi nomen retinuit, Capitonis omisit. iam vero quaeritur, quomodo quattuor isti loci quibus Plutarchum a Fabio dissentire affirmavi, cum hac sententia conciliari possint. habes locorum conspectum:

Plut. c. 111 διὸ κλινίδιον μὲν αὐτοῦ κείμενον ἐν τῷ θυρῶνι τῆς οἰκίας; ὁ δὲ προςπεσὼν τοῖς γόνασι τὴν ἡμέραν ἐκείνην ἄδειαν εἶχε πληγῶν καὶ κολάσεως.	Fabi fr. 24 h: *si quis ad verberandum ducatur, si ad pedes eius supplex procubuerit, eo die verberari piaculum est.*
Plut. c. 111 διὰ τί δὲ κυνὸς καὶ αἰγὸς ἐκέλευον ἀπέχεσθαι τὸν ἱερέα, μήτε ἁπτόμενον μήτ' ὀνομάζοντα;	Fabi fr. 24 k: *capram et carnem . . neque tangere Diali mos est neque nominare.*
Plut. c. 40 διὰ τί τῷ ἱερεῖ τοῦ Διὸς οὐκ ἔξεστιν ἐν ὑπαίθρῳ ἀλείφεσθαι;	Fabi fr. 24 r: *tunica intima, nisi in locis tectis, non exuit se.*

Plut. q. r. 113 (fr. 23) διὰ τί τοῖς ἱερεῦσι τούτοις ἀρχὴν οὐκ ἐφεῖτο λαβεῖν οὐδὲ μετελθεῖν.

cum Plutarchus Romanos scriptores in quaestionibus romanis conscribendis non adiisse videretur [1], immo eum Iubae ὁμοιότητας adhibuisse ab Alberto Barth, De Iubae ὁμοιότησιν a Plutarcho expressis in quaestionibus romanis et in Romulo Numaque (diss. Gotting. 1876) declaratum

[1] cf. P. Glaesser, De Varronianae doctrinae apud Plutarchum vestigiis (Leipziger Stud. z. klass. Phil. IV 1881) p. 222.

sit [1], absonum est tibi persuadere Atei librum Plutarchi in manibus versatum esse [2]. at idem Barth quaestionem 112 hanc ob causam Iubae restituendam esse vidit [3], quod in ea Romanorum patrium institutum cum Pythagoreorum doctrina compararetur: quem Iubae morem fuisse p. 24 sqq. idoneis exemplis explicavit. cum quaestione 112 vero etiam ceteras, quae sunt de flamine Diali, Iubae adsignandas esse his, quae de iis dixi, necessario efficitur. id confirmatur eo, quod in omnibus fere iis ex consuetudine *ὁμοιοτήτων* [4] comparatio instituitur inter Romanos et Graecos [5]. ergo Iuba praeter ceteros scriptores, quos *ὁμοιοτήτων* causa percensuit [6], Atei, cuius aequalis erat [7], iuris pontificii libros usurpavit neque auctorem suum dissimulavit. sed eiusdem opera factum est, ut Plutarchus quater in describendis flaminis caerimoniis a Masurio dissideat. huius rei duae praesto sunt explicationes: aut enim Masurius ipse in transscribendis Atei verbis ea, quibus a Iuba superatur, omisit, aut Gellius ista a Masurio religiose ex Atei libro recepta abiecit, id quod mihi veri simile videtur. de qua suspicione fortasse eximendum est fr. 24 k *capram et carnem incoctam . . neque tangere Diali mos est neque nominare*, ubi ante ‘carnem’ ‘c a n e m e t’ excidisse haud perperam Fridericus Leo l. l. p. 44 adn. 18 suspicatus est.

---

[1] Plutarchum in conscribendis quaestionibus romanis Iubae historiam romanam, non *ὁμοιότητας* adhibuisse Fridericus Reuss, De Jubae regis historia romana a Plutarcho expressa (Progr. Wetzlar 1880) p. 8 sqq. mihi non persuasit.

[2] Plutarchum ipsos Atei de iure pontificio libros adhibuisse existimat Leo l. l. p. 43 sq. quaestiones 38. 40. 44. 109—113 ad Varronis antiquitatum rerum divinarum lib. II redire opinatus est G. Thilo, De Varrone Plutarchi q. r. auctore praecipuo (diss. Bonn. 1853) p. 33.

[3] l. l. p. 25, cf. p. 44.

[4] cf. Barth l. l. p. 5 sqq.

[5] comparatio omissa est in quaest. 50. 109. 110, hanc videlicet ob causam, quoniam Jubae graeci ritus Romanorum similes non suppetebant.

[6] cf. Barth l. l. p. 9 sqq.

[7] cf. de Iuba Nicolai, Hist. lit. gr. II p. 185, de Ateio Teuffel, Hist. lit. rom. [4] § 265, 3 sq. cum neque de Atei iuris pontificii neque de Iubae *ὁμοιοτήτων* libris constet, quando scripti sint, id saltem nunc exploratum est Capitonis libros priores fuisse.

post Plutarchum copiosus de flaminis Dialis et flaminicae caerimoniis auctor est Interpolator Servi. cuius variarum rerum farragini satis multi loci immixti sunt, qui cum Fabi fragmento fere ad verbum consentiunt, cf. Interpol. Serv. Aen. II 57 (fr. 24 f), Aen. III 607 (fr. 24 h)[1], Aen. I 179 (fr. 24 q), Aen. IV 137 et XII 602 (fr. 46 a et b), Aen. IV 646 (fr. 46 c). multo vero gravioris momenti ea sunt, quae seorsum a ceteris auctoribus memoriae tradidit, cuius generis haec sunt: Aen. II 57 (fr. 24 f) *antiquis . . caerimoniis cautum erat, n e v i n c t u s f l a m i n i a m i n t r o i r e t, si introisset, solveretur* e. q. s.; Aen. IV 374 (fr. 16), ubi flaminis flaminicaeque confarreationis ritus exponitur; Aen. I 706 (fr. 25) *flamini Diali mensa inanis non anteponebatur*; Aen. IV 262 (fr. 17) *veteri . . religione pontificum praecipiebatur inaugurato flamini vestem, quae laena dicebatur, a flaminica texi oportere* e. q. s. et Aen. IV 263 (fr. 18) *sane hoc loco docuit flamini a flaminica fieri vestem oportere, cuius lanam ipsa per se et nere debeat et texere*; Aen. IV 518 (fr. 45) *sane flaminicae non licebat . . supra genu succinctam esse.* ab his consulto segregavi alios tres locos, qui Pictoris fragmento aperte obloquuntur, nempe hi:

Aen. I 305 (fr. 36) *vult ostendere igitur, flamini extra medium pomerium post solis occasum apicem ponere non licere.*	Fabi fr. 24 p: *sine apice sub divo esse licitum non est*; cf. fr. 35 *sub tecto uti liceret* (sc. *sine apice esse*) *non pridem a pontificibus constitutum Masurius Sabinus scripsit.*
Aen. IV 29 (fr. 37) *sane caerimoniis veterum flamini-*	Fabi fr. 24 t: *uxorem si amisit, flamonio decedit.*

[1] cum in Fabi fr. 24 h scriptum sit *si quis ad verberandum ducatur, si ad pedes eius supplex procubuerit, e o d i e verberari piaculum est*, apud Interpol. Serv. Aen. III 607 *iure autem pontificali, si quis flamini pedes vel genua fuisset amplexus, eum verberari non licebat*, in propatulo est hoc praeceptum apud Interpolatorem male exscriptum esse. simili neglegentia Interpol. Serv. Aen. IV 137 (fr. 10) scripsisse videtur 'arculum' pro 'inarculum', cf. Paul. p. 113 s. v. 'inarculum'.

cam non nisi unum virum habere non licet . . nec flamini aliam ducere licebat uxorem nisi post mortem flaminicae uxoris.	
Aen. XI 76 *sane hoc videtur secundum caerimonias flaminum subtiliter dixisse. flamini enim nisi unum mortuum*[1] *non licet tangere.*	Fabi fr. 24 v: *mortuum nunquam attingit.*

vides igitur, quam diversa apud Interpolatorem consociata sint. hic cum ipse haudquaquam ea e scriptorum voluminibus congessisse putandus sit, Georgio Thiloni adstipulor, qui Interpolatorem grammatici alicuius auctoritatem secutum esse coniecit, a quo sacrarum rerum antiquitates a Vergilio commemoratae uno libro comprehensae et explicatae essent[2]. is igitur grammaticus Aeneam a Vergilio flaminem Dialem, Didonem flaminicam depingi ratus[3] quidquid sacrarum legum ad Aeneae et Didonis sacerdotium illustrandum pertinere videret consarcinavit. itaque cum iis, quae nescio quibus ambagibus ad Fabium Pictorem redeunt, coniunxit alia quaedam e pontificio videlicet iure desumpta, quae partim certo auctori adsignari nequeunt, partim perspicue e Festo repetita sunt[4]. sed restant tres illi loci argumento suo a ceteris dis-

---

[1] cf. p. 25 adn. 4.

[2] Thilo, Quaestiones Servianae p. 52, Servii gramm. q. f. in Vergilii carmina commentarii rec. G. Thilo et H. Hagen I p. XXVI. cf. Wissowa l. l. p. 45. H. Linke, Quaestiones de Macrobii Saturnaliorum fontibus (diss. Vratisl. 1880) p. 30 sqq.

[3] cf. e. g. Interpol. Serv. Aen. IV 103 (fr. 15), III 607 (fr. 24 h), IV 137 (fr. 46 b), IV 646 (fr. 46 c); vide etiam Interpol. Serv. Aen. IV 339 (fr. 15), IV 262 (fr. 17), I 305 et IV 29 (fr. 37), XI 76 (fr. 38).

[4] Interpol. Serv. Aen. IV 262 (fr. 17 et 51) constat ex praecepto aliunde non cognito et Fest. p. 348 s. v. 'secespitam' verbotenus expilato; fr. 46 b comprehendit praeceptum de arculo, rica, venenato Fabiano fragmento plenius et Festi integram de arculo expositionem nunc apud Paul. p. 113 s. v. 'inarculum' (cf. fr. 10) breviatam. at ea, quae

sociati, quibus facile aliquis possit fidem detrahere. at ne calidius talem sententiam amplectamur facit pontificum decretum a Masurio Sabino Fabiano excerpto insertum. ait enim fr. 35 *sub tecto uti (*sc. *sine apice esse flamini Diali) liceret, non pridem a pontificibus constitutum . . et alia quaedam remissa gratiaque aliquot caerimoniarum facta dicitur.* simile decretum existimo Interpolatoris illud esse (fr. 36) *vult ostendere igitur, flamini extra medium pomerium post solis occasum apicem ponere non licere.* iam cum Taciti ann. III 71 (fr. 34) beneficio sciamus Augusto imperatore decretum esse a pontificibus *quotiens non valitudo adversa flaminem Dialem incessisset, ut pontificis maximi arbitrio plus quam binoctium abesset, dum ne diebus publici sacrificii neu saepius quam bis eundem in annum,* non puto a veritate aberramus, si Masurium censemus ad pontificum decreta auctore Augusto facta spectare: ac vide, quantum huic coniecturae faveat aetas Masuri Sabini Augusto finitima: homini enim, qui sub Tiberio et Nerone vixit[1], pontificum decretum sub Octaviano constitutum apte licuit inducere verbis *non pridem . . constitutum.* Augustus vero anno a. C. 11, cum flaminia sacra per quinque et septuaginta annos intermissa restitueret[2], caerimoniarum asperitatem mitigasse videtur[3]. iam habemus, quo fr. 37 et 38 referamus: cum enim fr. 37 praecipiatur flamini aliam ducere uxorem non licere n i s i p o s t m o r t e m flaminicae uxoris, et fr. 38 Diali permittatur unum mortuum tangere[4], apparet his sanctionibus priscas illas leges sacras, per quas

---

apud Interpol. Serv. Aen. IV 518 (fr. 42) de soleis aut calceis flaminicae disputata sunt, non puto ex Festo p. 161 s. v. 'mortuae pecudis' fluxisse, sed communis fontis usum prodere. ad Verri auctores eos, quos p. 19 indicavi, Interpolatoris Aen. X 270 (fr. 20) de apice fragmentum rettulerim.

[1] cf. Teuffel l. l. § 281, 1.

[2] Cass. Dio. LIV 36, 1. Sueton. Aug. 31. Tac. ann. III 58; cf. Marquardt, Enchir. ant. rom. VI[2] p. 65.

[3] cf. Tac. ann. IV 16: *ita medendum senatus decreto aut lege, sicut Augustus quaedam ex horrida illa antiquitate ad praesentem usum flexisset.*

[4] verba 'unum mortuum' iustam sententiam non praebere recte monuit Reifferscheid, qui suspicatur scribendum esse 'uxorem mortuam'.

flaminem, si uxorem amisisset, flamonio decedere oportebat (fr. 24 t) neque fas erat mortuum attingere (fr. 24 v), exolevisse. has igitur novas caerimonias cum per se consentaneum sit libris, qui erant de sacerdotibus publicis, adiectas esse, idem iure de fr. 52 suspicari mihi videor. quamquam enim Tac. ann. IV 16 narrat Tiberio imperatore legem latam, ut flaminica Dialis sacrorum causa in potestate viri, cetera promisco feminarum iure ageret, tamen eam pontifices, cum ad ius sacrum flaminicae pertineret, adeo non poterant neglegere, ut etiam notitiam eius libris suis ascripsisse putandi sint, sicuti de Vestalibus quoque leges commentariis suis commendasse videntur[1]. iam in flaminis flaminicaeque caerimoniis ut paululum etiamnunc commorer nonnulla fragmenta poscunt. de captione flaminis haec praecipiebantur, ut tres patricii confarreatis parentibus geniti nominarentur, e quibus unus legeretur (fr. 12. 13): quod cum Tac. ann. IV 16 vetusto more fieri affirmaret, ipse priscum sacerdotii ius a pontificibus constitutum significavit, quo simul sanctum erat, ut is, qui caperetur, e patria potestate exiret (fr. 14). Fabi fr. 24 i *capillum Dialis nisi qui liber homo est non detonset* bene suppletur Serv. Aen. I 448 *flamen Dialis aereis cultris tondebatur*[2]. deinde vetustissimam flaminis religionem commemoravit Liv. V 52, 13 *flamini Diali noctem unam manere extra urbem nefas est* (fr. 24 m): haec postea pontificum decreto, de quo p. 25 locutus sum, levata est. leges de flaminio camillo et flaminia camilla sacrae, quas fr. 30 complexus sum, quodammodo augeri possunt fr. 86: nam talia, qualia de curionum camillis valuisse e Dionys. Halic. II 22 perspicuum fit, etiam de flaminio camillo et flaminia camilla in libris de sacerdotibus scripta fuisse omnibus veri similitudinis numeris commendatur. in fr. 31 praeclaram Madvigi (Advers. crit. I p. 33) suspicionem secutus Festo restitui (p. 249) 'praeciae viatores': quod puto nemini displicebit, cum Paul. p. 224 s. v. 'praecias' nobis suadeat a Festo praeciarum commemorationem flagitare. fr. 32. 33 tres Livi (XXVI 23, 8),

---

[1] cf. p. 29 et 31.

[2] cf. p. 13.

Valeri Maximi (I 1, 4 sq.), Plutarchi (Marc. 5) locos occupare volui: quibus cum narraretur flamines Diales flamonio abire iussos coactosque esse, si exta perperam dedissent vel parum curiose aris admovissent et si inter sacrificandum e capite apex prolapsus esset, id secundum flaminis ius sacrum factum esse credidi.

flaminicae caerimoniarum fr. 39. 40. 41 cum flaminis religionum fr. 14. 15. 24 t, u ita conveniunt, ut supersedere possim de iis disserere. neque vero fr. 46 a silentio praetermittendum videtur. nam cum apud Gellium X 15, 27 sit *alias seorsum aiunt observitare, veluti est, quod venenato operitur* et cum eo consentiat Interpol. Serv. Aen. IV 137 et XII 602, apud Paulum vero p. 92 scriptum sit *flammeo vestimento flaminica utebatur* (cf. p. 89 *flammeo amicitur nubens ominis boni causa, quod eo assidue utebatur flaminica),* utroque loco idem vestimentum in quaestionem vocari censeo, cuius nomen sollemne a Gellio et Interpolatore Servii servatum is, ad quem Pauli glossae redeunt[1], expulit: sed hoc pro certo venditare haud ausim[2]. quod denique fr. 47, quo flaminica per anciliorum ferias comas inpexas habere iubetur, et fr. 48, quo eam iis diebus, quibus penus Vestae patet, donec stercus delatum sit, certos castus observare debere refertur, libris de sacerdotibus assignavi, id nititur fr. 46 d *cum it ad Argeos, quod neque comit caput neque capillum depectit*[3].

flaminis Martialis et Quirinalis eorumque uxorum caerimoniarum tam parva ad nos pervenit notitia, ut de his paucis possimus absolvere. nam praeterquam quod Gaius inst. I

---

[1] cf. p. 20.

[2] cf. Marquardt, Enchir. ant. rom, VI[2] p. 332 adn. 4: 'Wenn die Worte des Gellius X 15, 27 venenato operitur sich auf das Kleid beziehen, so war dies purpurn, und das sagt auch Serv. ad Aen. IV 137.'

[3] cum Paul. p. 93 s. v. 'flaminius camillus' recte camilli nomen in lemmate posuerit (fr. 30), in lemmate vero proxime subsequentis glossae, quae est de flaminia camilla, codices 'camilla' vocabulum non praebeant (fr. 50), non Pauli, sed librariorum socordia hanc vocem sublatam esse a Muellero ad h. l. dissentiens puto: itaque 'flaminia camilla' restitui.

112 adnotavit Martiales et Quirinales flamines nisi ex farreatis natos non legi ac ne ipsos quidem sine confarreatione sacerdotium habere posse (fr. 53, cf. fr. 5. 12), et apud Fest. p. 249 s. v. 'praeciae' etiam flaminibus Martiali Quirinalique praecias praesto fuisse testimonium fit (fr. 55 = fr. 31), et ab Interpolatore Servi Aen. VIII 552 refertur iis a finibus Italiae abesse licuisse neque semper praetextam neque apicem nisi tempore sacrificii eos gestare solitos esse (fr. 54), cetera omnia, quae his flaminibus flaminicisque una cum flamini Diali eiusque uxori praescripta fuisse videntur, in coniectura posita sunt [1]. eas autem caerimonias, quae fr. 54 allegantur, non posse ad antiquissimas Martialis et Quirinalis religiones referri, immo posterioris aetatis esse, arguunt exempla L. Valeri Flacci flaminis Martialis, quem anno a. C. 131 P. Licinius Crassus pontifex maximus, cum ad bellum gerendum proficisci vellet, Romae retinuit [2], et Q. Fabi Pictoris flaminis Quirinalis, quem idem pontifex anno a. C. 189 ad sacra retinuit [3].

haud multo uberiora de pontificum caerimoniis scriptores tradunt. his tutuli (fr. 56) et secespitae (fr. 57) usus communis erat cum flaminibus et flaminicis (fr. 22. 43. 17. 51), scena, cuius nomen Cincius in secundo de verbis priscis libro explicavit, propria eorum erat (fr. 58). ad caerimoniarum flaminis sanctitatem proxime accedit praeceptum ab Interpol. Serv. Aen. VIII 552 traditum pontificibus non licuisse equo vehi sed curru (fr. 59) [4], et alterum quod vetabat pontificem mortuum videre [5], apud Serv. Aen. VI 176 (fr. 61); iurare tamen iis licebat, sed per deos tantummodo (Serv. Aen. IX 298, fr. 60) [6].

---

[1] eorum locorum, qui huc spectant, collectionem proposui p. 16 sq.

[2] Cic. Phil. XI 8, 18.

[3] Liv. XXXVII 51. cf. Ambrosch, Quaest. pont. cap. III p. 3. 10 sq. Marquardt, Enchir. VI² p. 64 sq.

[4] cf. Marquardt l. l. p. 250 adn. 4.

[5] verba huic praecepto subsequentia *magis tamen nefas fuerat, si visum insepultum relinquerent* nescio utrum cum ipso fragmento coniungenda an iis, *qui de pietatis generibus scripserunt* (cf. Serv.), tribuenda sint.

[6] Tertulliani de exhor. cast. 13, ad uxor. 1, 7. de monog. 17 locos,

de dignitatis gradibus, quibus pontifices minores inter se distinguebantur (fr. 62), p. 14 dictum est.

iam ut ad virginum Vestalium caerimonias commode pergere possimus via munita est quaestione quam de Gelli libri I capite 12 instituimus: ea id effecimus Gellium ibi expilasse Labeonis duodecim tabularum commentaria, hunc usurpasse Fabi Pictoris de virgine capienda expositiones (fr. 64. 65 a—g), quibus adiunxit Atei Capitonis excusationum, quae fr. 65 f, g enarrantur, supplementum (fr. 65 h). praeter ea, quae certe Fabio deberi confido, e Labeonis commentario Gellius desumpsit de emancipatione et iure testamenti faciendi virginis Vestalis locum (fr. 66 a, b), legis Papiae de numero et sortitione earum virginum, ex quibus pontifex Vestalem capere deberet, sanctionem (fr. 63) et Labeonis ad hanc legem adnotationem (fr. 83), denique de virgine Vestali, quae non heres sit cuiquam intestato cuiusque bona intestatae in publicum redigantur, disputationem (fr. 68). e quibus fr. 66 a, b et 68 inter virginum Vestalium iura in libris de sacerdotibus scripta fuisse ipsa horum librorum natura atque indoles suadet: de lege Papia, quae quo tempore lata sit nescimus[1], ut idem statuamus, hoc ipsum nos impellit, quod ea pontifici maximo de captione virginis Vestalis praecipitur: neque non possunt pontifices id in libris suis adnotasse sortitionem, quae lege Papia praescribebatur, Labeonis tempore non iam necessariam videri[2] et filiam a patre ad sacerdotium oblatam, cuius dumtaxat salvis religionibus ratio haberi possit, capi licere (fr. 83). deinde ad hos libros etiam praeceptum duodecim tabularum, quo virgines Vestales a tutela liberabantur, pertinebat (fr. 67) et lex sacra, qua post officium triginta annorum Vestalibus permittebatur sacerdotio abire ac nubere (fr. 69). denique pontifices inter virginum Vestalium praecepta sacra legem quoque Horatiam quandam a Gellio n. a. VII (VI) 7, 2. 4

quibus pontifici maximo semel nubere licuisse refertur, a fragmentorum collectione seclusi, quoniam Tertullianus errasse videtur, cf. Marquardt, Enchir. VI² p. 328 sq. adn. 8.

[1] cf. Marquardt, Enchir. VI² p. 337.

[2] hoc enim Labeonem de suis temporibus rettulisse verba *sed ea sortitio ex lege Papia non necessaria nunc videri solet* declarant.

(fr. 66 b et 69) prolatam tradidisse puto. cuius quidem sententiae Ottonem quoque Gilbertum (Geschichte und Topographie der Stadt Rom im Alterthum II p. 112 sq. adn. 3) video esse, cum quo consentio legem eam, qua virginum Vestalium iura sanciantur, re vera ad primi rei publicae liberae anni consulem Horatium posse redire. praeter haec fragmenta, quae ad sacerdotii iura in libris de sacerdotibus nimirum descripta referuntur, de caerimoniis, quibus virgines Vestales tenebantur, admodum pauca innotescunt, veluti fr. 70 capillum Vestalium ad capillatum vel capillarem arborem deferri et in ea suspendi oportere praecipitur, et fr. 71, quod cum fr. 24 h opportune contuleris, sancitur, si quis ad mortem ducatur et virgini Vestali obviam factus sit, eum necari nefas esse: si quis vero feretrum, quo in campum sceleratum portentur, subierit, eum morte multari fas esse [1]. de corporis Vestalium habitu in libris de sacerdotibus pontificiis accurate relatum fuisse demonstrant fr. 72. 74. 75, de sanctitudine domus Appian. b. c. I 54 (fr. 76) et Dionys. Halic. II 67 (fr. 77) ita narrant, ut sacri praecepti mentionem fieri facile credas: addito pontificum nomine iuris sacri cautionem protulit Plinius epist. VII 19, 1 sq. (fr. 78). denique consentaneum esse puto in libris, qui de sacerdotibus erant, ea quae ad religiones ignis Vestae interstinctae et incestus virginum pertinerent perscripta fuisse, ut ex Paul. p. 106 s. v. 'ignis Vestae', Plutarch. Num. 9. 10., Fest. p. 241 s. v. 'probrum' huius eorum partis imaginem refingi posse existimem. nempe ea, quae Plutarchus in cap. 9 et 10 narrat, dubio procul Varronis fide nituntur [2], qui in antiquitatum rerum divinarum

---

[1] verba ὁ δὲ ὑπελθὼν κομιζομένων ὑπὸ τὸ φορεῖον ἀποθνήσκει Marquardt, Enchir. VI² p. 341 ita intellexit, ut inde colligendum esse censeret 'auf ihre Beleidigung stand der Tod'. sed vide an probabilius sit censere virgines Vestales prodeuntes sanctimonia sua nocenti per casum obviam facto salutem dare, si propter incestum mortis damnatae ad campum sceleratum ferantur eum, qui incaute feretrum subierit, ipsas quasi secum ad supplicium trahere.

[2] cum Plutarchus Num. 9 de Vestae ignis exstinctu disserens similes Graecorum ignium sacrorum defectus enumeret et graecum ignis renovandi ritum afferat, hac ipsa re Iubae ὁμοιοτήτων usus prodi videtur.

libro secundo ut de flaminum caerimoniis ita de virginibus Vestalibus secundum pontificum doctrinam copiose disseruisse putandus est: Pauli vero de igne Vestae interstincto expositiones (p. 106, fr. 79) cum p. 57 s. v. 'capillatam vel capillarem arborem' (fr. 70) [1], Fest. p. 339 s. v. 'senis crinibus' (fr. 72), Paul. p. 4 s. v. 'armita' (fr. 75) ita cohaerent, ut haec omnia e libro aliquo de caerimoniis virginum Vestalium conscripto excerpta esse pateat. is liber prorsus similis fuisse videtur illi, cui partem glossarum, quae de flamine Diali flaminicaque apud Festum Paulumque sunt, p. 20 assignavi [2]. illius vero generis, de quo p. 17 sq. dixi, similitudo in glossa p. 348 s. v. 'suffibulum' (fr. 74) conspicitur.

veteribus Vestalium religionibus Augustus duas novas addidit, cum a. p. C. 5 constitueret libertinorum filias virgines Vestales capi licere (Cass. Dio LV 22, 5, fr. 81) et a. p. C. 9 Vestalibus ius trium liberorum condonaret (Cass. Dio LVI 10, 2, fr. 82).

reliquorum sacerdotum publicorum, quos p. 11 enumeravi, iura et caerimonias in pontificum de sacerdotibus libris perscripta fuisse pauca, sed quae certa ratione ad istos referantur, fidem faciunt. etenim quod Servius Aen. XII 120 affirmat fetiales et patrum patratum nunquam lineis vestibus usos esse (fr. 84) et Dionys. Hal. a. r. II 71 refert Salios oportuisse esse homines liberos, in civitate Romana natos, patrimes matrimesque (fr. 85), ea aperte iuris sacri specimina sunt. idemque cadit in ea, quae Dionysius II 21 in curioni-

---

[1] Paulum Vestalium nomen, quod apud Festum haud deesse potuit, male omisisse Plin. n. h. XVI 235 demonstrat (fr. 70): quod idem commisit p 4 s. v. 'armita' (fr. 75), ubi 'virginem sacrificantem', quae commemoratur, Vestalem esse a Scaligero intellectum est. quod Georgius Wissowa in Marquardti Enchir. VI² p. 340 adn. 4 de fide huius glossae dubitavit, id ita probandum videtur, ut vox 'armita' pro lemmate posita a dubitatione excipiatur: Festi explicationem Paulus facile potuit pervertere.

[2] de eo certiora liceret statuere, si Plin. n. h. XVI 235 (fr. 70) a quo sua sumpsisset constaret: Varronem hunc fuisse, etsi propter XVIII 119 (fr. 24 k, cf. p. 16) in proclivi est suspicari, tamen id nulla ratione firmatur.

bus eorumque camillis requiri narrat (fr. 86)[1]. his accedit de auguribus sanctio a Plutarcho q. r. 73 servata, qua auguribus interdicebatur, ne vulnere inquinati auspicarentur: hoc esse pontificale praeceptum ut credam, adducor Plutarchi q. r. 38 *διὰ τί Κόιντος Μέτελλος, ἀρχιερεὺς γενόμενος καὶ τἄλλα δοκῶν φρόνιμος εἶναι καὶ πολιτικὸς ἀνὴρ ἐκώλυεν οἰωνίζεσθαι μετὰ τὸν Σεξτίλιον μῆνα τὸν νῦν Αὔγουστον προςαγορευόμενον;* itaque de auguribus pontificios de sacerdotibus publicis libros leges sacras complexos esse veri est simillimum. quae cum ita sint, ab his libris epulonum quoque, fratrum arvalium, lupercorum, tribunorum celerum, sodalium Titiorum descriptionem iure poscimus: cuius quod nihil apud scriptores resedit, valde est dolendum.

iam si in fine quaestionis ea, quae effecimus, animo perlustramus, in pontificiis de sacerdotibus publicis libris dignitatis sacerdotalis gradus, religiones, cautiones, caerimonias, iura sacerdotum ita perscripta fuisse patefactum est, ut quae in omnibus valerent promiscue, quae ad singula sacerdotia pertinerent per haec digesta extarent. talem descriptionem verisimile est ita perfectam esse, ut leges sacrae in pontificum collegio memoria primo proditae aliquando litteris mandarentur, deinde novae religiones sive pontificum decretis sive legibus publicis constitutae adicerentur. ad hos libros cave referas sacrorum, quae singulis sacerdotiis sollemnia erant, descriptionem: veluti Varro apud Non. p. 223, 16 et Veranius apud Fest. p. 158 s. v. 'muries' accurate exposuerunt, quomodo muries fieri deberet, et Interpol. Serv. ecl. VIII 82 iuris sacri de mola salsa conficienda praecepta exposuit. haec vero non libris, qui erant de sacerdotibus, convenire puto sed libris quibusdam qui sacrorum Vestalium descriptionem complectebantur. itaque fuisse existimo non solum commentarios sacrorum pontificalium, de quibus p. 6 dixi, sed etiam libros quibus sacra ceterorum sacerdotum describebantur: ex his videntur ea fluxisse, quae e. g. de regis, reginae, flaminum, virginum Vestalium sacris innotuerunt.

---

[1] Dionysius se in describendis sacerdotiis Romanorum (c. 21. 22. 63. 64. 70. 71. 72. 73) Varronis antiquitates rerum divinarum exscribere ipse c. 21 professus est: *λέγω δὲ ἃ Τερέντιος Οὐάρρων ἐν ἀρχαιολογίαις γέγραφεν.*

PONTIFICIORUM

DE

SACERDOTIBUS PUBLICIS LIBRORUM FRAGMENTA

CONSPECTUS SIGLORUM

Sexti Pompei Festi de verborum significatione libri

F = cod. Farnesinus

Pauli epitome

M = cod. Monacensis
Gu = cod. Guelferbytanus

A. Gelli noctium atticarum libri

A = cod. palimpsest. Vatic.-Palat. XXIV
V = cod. Vatic. 3452
P = cod. bibl. nat. Parisinus olim Regius
R = cod. acad. Lugd. Bat. Gron., olim Rottendorfianus, 21
Q = cod. bibl. nat. Parisinus 8664
Z = cod. acad. Lugd. Bat. Voss. F 7 (Voss. maior)
B = fragm. cod. Bern. 404
O = cod. Christinae in Vat. I (Danielinus) 597
X = cod. acad. Lugd. Bat. Voss. F 112 (Voss. minor)
Π = cod. Christ. in Vat. II (Petavianus) 1646
N = cod. bibl. Magliabecch., olim S. Marci, Florent. 329
litterae minores *a v p r q z b o x π n* significant horum codd. manus alteras
T = anthol. Gellio-Valeriana Thuanea (cod. Paris 4952, olim Colbert.)
Y = anthol. Gellio-Valeriana Ursiniana (cod. Vat. 3307)

β = lectiones ex cod. Buslidiano olim excerptae
σ = Casp. Scioppi excerpta
ς = codd. recentiores

Macrobi saturnaliorum libri

P = cod. Parisinus
B = cod. Bambergensis m. l. V 5 n. 9

Servi grammatici qui feruntur in Vergili carmina commentarii

I. plenioris commentarii codices:

C = cod. olim conventus Fuldensis, nunc bibl. Cassellan. ms. poet. fol. 6
C^2 = huius codicis vetus corrector
C^3 = corrector saec. XV
P = cod. bibl. nat. Paris. 1750
F = cod. olim conventus Floriacensis, nunc
a) bibl. Bernens. 172
b) bibl. nat. Paris. 7929
G = cod. olim Autissiodorensis, nunc Bernensis 167
T = cod. olim Turonensis, nunc Bernensis 165
Ambros = cod. bibl. Ambrosianae s. 83 part. sup.

II. Serviani commentarii codices:

C = cod. Cassellani ea pars quae ad Aen. III—VI pertinet
L = cod. bibl. Lipsiensis rep. I n. 36[b]
A = cod. bibl. Caroliruhensis 116
R = cod. Reginensis 1674
S = codd. bibl. Sangallensis 861 et 862
H = cod. bibl. Hamburgensis 52

Dionysi Halicarnasensis antiquitatum romanarum libri

A = cod. Chisianus
B = cod. Urbinas

I DE SACERDOTIBUS IN UNIVERSUM

Interpol. Serv. Aen. I 329 cautum . . est, n e s a c e r d o s eius d o m u m i n g r e d i a t u r, in qua ante quintam diem funus fuerit. *cf. fr. 61.* 1

Laurent. Lyd. de mens. I 31 *καὶ τοῦτο πρὸς τοῦ Νουμᾶ διατίθεται, ὥστε τοὺς ἱερεῖς χαλκαῖς ψαλίσιν, ἀλλ' οὐ σιδηραῖς ἀποκείρεσθαι.* 5 2

Fest. p. 249 [pura vest]im[enta sacerdotes populi Romani ad sacri]fici[um habere solent, id est non ob]sita, [non fulgurita, non funesta, 10 3

---

1 Interpol. Serv. Aen. I 329 cui (i. e. Apollini) laurum ideo sacratam (*ita Thilo:* sacrificatam *C*, consecratam *enotavit Scioppius*), quia haec arbor suffimentis purgationibusque adhibeatur, ut ostendatur nullum templum eius nisi purum ingredi debere. c a u t u m e n i m e s t . . . f u e r i t. Interpol. Serv. Aen. IV 507 Romani moris fuit propter caerimonias sacrorum, quibus populus Romanus obstrictus erat, ut potissimum cupressus, quae excisa (excusa *F*) renasci non solet, in vestibulo mortui poneretur, ne quis inprudens funestam domum rem divinam facturus introeat et quasi attaminatus (attãnatus *F*) suscepta peragere non possit: hinc ergo 'funerea cupresso'.

2 Laurent. Lydus de mens. I 31 *καὶ τοῦτο . . . ἀποκείρεσθαι. ὁ γὰρ σίδηρος κατὰ τοὺς Πυθαγορείους τῇ ὕλῃ ἀνάκειται· μέλας γὰρ καὶ αὐτός, καὶ διὰ τοῦτο ἐγγὺς ἀνειδέον, πολυκάματός τε καὶ πολύχρηστος, ἀλλ' οὐκ ἀπαθής ἐστι.* Macrob. sat. V 19, 13 sed † Carmini (Granii *coni Meursius*) curiosissimi et docti verba ponam, qui in libro de Italia secundo sic ait 'prius itaque et Tuscos aeneo vomere uti cum conderentur urbes solitos in Tageticis eorum sacris invenio, et in Sabinis ex aere cultros, quibus sacerdotes tonderentur'.

3 Interpol. Serv. Aen. IV 683 s a n e . . . m o r t u o. id hoc loco conprehensum accipi potest, cum Dido inducitur habuisse crinem sacratum, quo videlicet absciso posset sine cruciatu mori: prius tamen

non maculata] ex h[omine mortuo]. Interpol. Serv. Aen. IV 683 sane in sacris pura vestis appellatur, quae neque funesta sit neque maculam habeat ex homine mortuo. Serv. et Interpol. Serv. Aen. XII
5 169 inpolluta et pura dicitur vestis, qua festis diebus uti consueverant sacra celebraturi: [ut neque funesta sit neque fulgurata neque maculam habeat ex homine mortuo].

4 Fest. p. 185 ordo sacerdotum aestimatur
10 deorum [ordine et ut] maximus quisque. maximus videtur rex, dein Dialis, post hunc Mar-

---

voluit ablui cruorem cum ait 'date vulnera lymphis abluam'. plenius tamen infra ait 'semianimemque sinu germanam' usque 'veste cruorem', ut tamquam in veste pura legitimo ritu morti data haberetur, quae quod sacratum crinem habuerit, vitae fuerit inmorata: nam subiecit apte ex persona Iridis ⟨702⟩ 'hunc ego Diti sacrum iussa fero teque isto corpore solvo'. Serv. et Interpol. Serv. Aen. XII 169 inpolluta . . . celebraturi: [ut . . . mortuo]. est autem linea et purpurea. purpura maris vicem ad piandum praebet, linum vero fluminis, quia, cum vere primo in oriente flumen inundasset, sponte sua linum natum Plinius Secundus (*cf. n. h. XIX 7 sqq.*) dicit. ideo magistratus et sacrificaturi togam praetextam habent et manus ablutas detergere lineis mantelibus curant. quod ipse de Aristaeo ait ⟨georg. IV 381⟩ 'Oceano libemus' et ⟨ib. 376⟩ 'manibus liquidos dant ordine fontes germanae tonsisque ferunt mantelia villis', ecce mentionem de lino: rursum de purpura ⟨Aen. III 405⟩ 'purpureo velare comas adopertus amictu', item ⟨XII 120⟩ 'velati lino'. ergo pura lintea vel purpurea bene potest intellegi. Paul. p. 248 pura vestimenta sacerdotes ad sacrificium habebant, id est non obsita, non fulgurita, non funesta, non maculam habentia.

4 Fest. p. 185 ordo . . . pontificem. rex, quia potentissimus; Dialis, quia universi mundi sacerdos, qui appellatur Dium; Martialis, quod Mars conditoris urbis parens; Quirinalis, socio imperii Romani Curibus adscito Quirino; pontifex maximus, quod index atque arbiter habetur rerum divinarum humanarumque.

---

[1] ex h[omine mortuo] *supplevi ex Interpol. Serv. Aen. IV 683. XII 169* ex h[ac causa . . .] *Mueller* [2] in sacris . . . mortuo *e. q. s. in mg. sup. T* [6] haec vestis talis debet esse ut neque . . . est autem linea et purpurea *T* [7] fulgorata *F* fulgurita *T* [10] deorum [ordine et ut] *Mercklin, Bull. academ. Petropol. class. histor.-phil. X p. 289* deorum * * *schedae Laeti* deorum maiestate, ut *Ursinus* deorum ordinem referre, ut *Dacerius* deorum ordine, ut deus *Mueller*

tialis, quarto loco Quirinalis, quinto pontifex maximus. itaque in [conviviis] solus rex supra omnis accubat; sic et Dialis supra Martialem et Quirinalem, Martialis supra proximum, omnes item supra pontificem. 5

II DE REGE SACRORUM

5 Gaius inst. I 112 reges sacrorum nisi ex farreatis nati [n]on leguntur; ac ne ipsi quidem sine co[n]farreat[i]one sacerdot[i]um habere possunt. 10

6 Interpol. Serv. Aen. II 2 non . . licebat supra regem sacrificulum quemquam accumbere *cf. fr. 4. 24 s.*

7 Macrob. sat. I 16, 9 praeterea regem sacrorum flaminesque non licebat videre feriis opus fieri 15 et ideo per praeconem denuntiabant nequid tale ageretur, et praecepti neglegens multabatur. *cf. fr. 31.*

8 Plut. q. r. 63 *διὰ τί τῷ καλουμένῳ ῥῆγι σακρώ-*

---

5 Gaius inst. I 112 farreo in manu[m] conveniunt per quoddam genus sacrificii quod Iovi Farreo fit: in quo farreus panis adhibetur, unde etiam conf[a]rr[e]atio dic[i]tur; conplura praeterea huius iuris ordinandi gratia cum certis et sollemnibus verbis, praesentibus decem testibus, aguntur et fiunt. quo[d] ius etiam nostris temporibus in usu est: nam flamines maiores, id est Diales Martiales Quirinales, item reges sacrorum . . . possunt.

6 Serv. Aen. II 2 toro ab alto] summus enim semper est pontificalis locus; [non enim . . . accumbere. cum enim dicit de Didone ⟨I 698⟩ 'aurea conposuit sponda mediamque locavit', ostendit illam regali, non sacerdotali loco discubuisse.] et Aeneas ubique quasi sacratus inducitur.

8 Plut. q. r. 63 *διὰ τί ... δημηγορεῖν; ἢ τὸ παλαιὸν οἱ βασιλεῖς τὰ πλεῖστα καὶ μέγιστα τῶν ἱερῶν ἔδρων καὶ τὰς θυσίας ἔθυον αὐτοὶ μετὰ*

---

[2] conviviis *add Ald., vg* [3] sic et *Mueller* licet *schedae Laeti* sed *Ald., vg* scilicet *Ursinus* [5] item *corr Ursinus* idem *schedae Laeti* inde *Ald.* dein *vg* [16] p̄torē denunciabatur *P*

ρ ο υ μ (*οὗτος δέ ἐστι βασιλεὺς ἱερῶν*) *ἀ π ε ί ρ η τ α ι κ α ὶ ἄ ρ χ ε ι ν κ α ὶ δ η μ η γ ο ρ ε ῖ ν*; *cf. fr. 23.*

9 Serv. Aen. VIII 646 *de Tarquinio Superbo expulso:* facile poterat suscipi et occidi. sed ideo non est susceptus, quia occidi non poterat religione impediente: rex enim sacrorum fuerat. unde postea alii facti sunt consules, alii reges sacrorum.

DE REGE SACRORUM SUPPLEMENTUM

Cic. de dom. 14, 37 sq. iam omnium sacra interierint, quorum custodes vos esse debetis, iam patricius nemo relinquetur . . . ita populus romanus brevi tempore neque regem sacrorum neque flamines nec salios habebit nec ex parte dimidia reliquos sacerdotes neque auctores centuriatorum et curiatorum comitiorum auspiciaque populi Romani, si m a g i s t r a t u s p a t r i c i i creati non sint, intereant necesse est, cum interrex nullus sit, quod et ipsum patricium esse et a patriciis prodi necesse est. Liv. VI 41, 9 vulgo ergo pontifices augures sacrificuli reges creentur, cuilibet apicem dialem, dummodo homo sit, inponamus, tradamus ancilia penetralia deos deorumque curam quibus nefas est *sq.* ib. IX 34, 12 quem tu regem sacrificiorum crees? amplexus regni nomen,

---

τῶν ἱερέων; . . *Ῥωμαῖοι δὲ παντάπασι τοὺς βασιλεῖς ἐκβαλόντες ἄλλον ἐπὶ τὰς θυσίας ἔταξαν οὔτ᾽ ἄρχειν ἐάσαντες οὔτε δημαγωγεῖν, ὅπως μόνον ἐν τοῖς ἱεροῖς βασιλεύεσθαι δοκῶσι καὶ βασιλείαν διὰ τοὺς θεοὺς ὑπομένειν.* Dionys. Halic. IV 74 *ἵνα δὲ καὶ τοὔνομα τῆς βασιλικῆς ἐξουσίας πάτριον ὑπάρχον ἡμῖν καὶ σὺν οἰωνοῖς αἰσίοις θεῶν ἐπικυρωσάντων παρεληλυθὸς εἰς τὴν πόλιν αὐτῆς ἕνεκα τῆς ὁσίας φυλάττηται, ἱερῶν ἀποδεικνύσθω τις βασιλεύς ὁ τὴν τιμὴν ταύτην ἕξων διὰ βίου πάσης ἀπολελυμένος πολεμικῆς καὶ πολιτικῆς ἀσχολίας, ἓν τοῦτο μόνον ἔχων ἔργον, ὥσπερ ὁ βασιλεὺς, τὴν ἡγεμονίαν τῶν θυηπολιῶν, ἄλλο δ᾽ οὐδέν.* ib. V 1 *ἐπειδὴ δὲ καὶ πολλῶν καὶ μεγάλων ἀγαθῶν αἴτιοι γεγονέναι τοῖς κοινοῖς πράγμασιν ἔδοξαν οἱ βασιλεῖς, φυλάττειν τοὔνομα τῆς ἀρχῆς ὅσον ἂν ἡ πόλις διαμένῃ χρόνον βουλόμενοι τοὺς ἱεροφάντας τε καὶ οἰωνομάντεις ἐκέλευσαν ἀποδεῖξαι τὸν ἐπιτηδειότατον τῶν πρεσβυτέρων, ὃς οὐδενὸς ἤμελλεν ἕξειν ἑτέρου πλὴν τῶν περὶ τὰ θεῖα σεβασμῶν τὴν προστασίαν, ἁπάσης λειτουργίας πολεμικῆς καὶ πολιτικῆς ἀφειμένος, ἱερῶν καλούμενος βασιλεύς.*

9 *cf. Dionys. Hal. IV 74 in adn. fr. 8.*

ut qui optimo iure rex Romae creatus sit, creatum se dicet. Gell. n. a. XV 27, 1 in libro Laelii Felicis (*Laeli Fel. ad Q. Muc. fr. 1 ap. Huschkium, Iurispr. antei.*[4] *p. 145*) ad Q. Mucium primo scriptum est Labeonem (*M. Antisti Labeonis de iure pont., ut vid., fr. 22 ibid. p. 113*) scribere calata comitia esse, quae pro collegio pontificum habentur aut regis aut flaminum inaugurandorum causa. Liv. XXVII 36, 5 Cn. Cornelius Dolabella rex sacrorum inauguratus est in locum M. Marcii, qui biennio ante mortuus erat. ib. XL 42, 8 sqq. de rege sacrifico sufficiendo in locum Cn. Cornelii Dolabellae contentio inter C. Servilium pontificem maximum fuit et L. Cornelium Dolabellam duumvirum navalem, quem ut inauguraret pontifex magistratu sese abdicare iubebat; recusantique id facere ob eam rem multa duumviro dicta a pontifice, deque ea, cum provocasset, certatum ad populum. cum plures iam tribus intro vocatae dicto esse audientem pontifici duumvirum iuberent multamque remitti, si magistratu se abdicasset, vitium (*ita Madvig*, ultimum *vg*) de caelo quod comitia turbaret intervenit. religio inde fuit pontificibus inaugurandi Dolabellae; P. Cloelium Siculum inaugurarunt, qui secundo loco inauguratus (*immo* nominatus, *cf. Marquardt, Roem. Staatsverw. III*[2] *p. 322 adn. 5*) erat.

III DE REGINA SACRORUM

10 Paul. p. 113 inarculum virgula erat ex malo Punica incurvata, quam regina sacrificans in capite gestabat. Interpol. Serv. Aen. IV 137 arculum vero est virga ex malo Punica incurvata, quae fit quasi corona et ima summaque inter se alligatur vinculo laneo albo, quam in sacrificiis certis regina in capite habebat. *cf. fr. 46 b.*

---

26 Punica *scripsi* Punico *codd* 28 punico *libri, corr Marquardt, Roem. Staatsverw. III p. 318 adn. 16* 29 fit *T* sit *F et Ambros* 31 habebat] uti habeat *F*

IV DE FLAMINIBUS IN UNIVERSUM

11 Fest. p. 154 maximae dignationis flamen Dialis est inter quindecim flamines, et cum certa discrimina maiestatis suae habeant, minimi habetur 5 Pomonalis, quod Pomona levissimo fructui agrorum praesidet pomis.

DE FLAMINIBUS SUPPLEMENTUM

Paul. p. 151 maiores flamines appellabantur patricii generis, minores plebeii.

V DE FLAMINE DIALI

12 Gaius inst. I 112 flamines . . Diales . . nisi ex farreatis nati [n]on leguntur. *cf. fr. 5. 53.*

13 Tacit. ann. IV 16 sub idem tempus de flamine Diali in locum Servi Maluginensis defuncti legendo, simul roganda 15 nova lege disseruit Caesar. nam patricios confarreatis parentibus genitos tres simul nominari, ex quibus unus legeretur, vetusto more.

14 Tacit. ann. IV 16 sub idem tempus de flamine Diali

---

12 Gaius inst. I 112 farreo in manu[m] conveniunt per quoddam genus sacrificii quod Iovi Farreo fit: in quo farreus panis adhibetur, unde etiam conf[a]rr[e]atio dic[i]tur; conplura praeterea huius iuris ordinandi gratia cum certis et sollemnibus verbis, praesentibus decem testibus, aguntur et fiunt. quo[d] ius etiam nostris temporibus in usu est: nam flamines maiores, id est Diales Martiales Quirinales, item reges sacrorum nisi ex . . . leguntur; ac ne ipsi quidem sine confarreatione sacerdotium habere possunt.

13 Tacit. ann. IV 16 sub idem . . . more; neque adesse, ut olim, eam copiam, omissa confarreandi adsuetudine aut inter paucos retenta. *cf. fr. 14.*

14 Tac. ann. IV 16 sub idem . . . apisceretur quaeque in

---

[3] certa *Ursinus* cetera *F et boni Pauli codd* ceteri *Mueller*
[4] minimi] minimae *coni Ursinus*

in locum Servi Maluginensis defuncti legendo, simul roganda nova lege disseruit Caesar. nam patricios confarreatis parentibus genitos tres simul nominari, ex quibus unus legeretur, vetusto more; neque adesse, ut olim, eam copiam, omissa confarreandi adsuetudine aut inter paucos retenta (pluresque 5 eius rei causas afferebat, potissimam penes incuriam virorum feminarumque; accedere et ipsius caerimoniae difficultates, quae consulto vitarentur), et quod exiret e iure patrio, qui id flamonium apisceretur. Gaius inst. I 130 praeterea exeunt liberi virilis sexus de parentis pote- 10 state, si flamines Diales inaugurentur. ib. III 114 *de eo qui in patris potestate est:* ac ne ipsi quidem aliter a[ctio] conpetit, quam si sine [capitis] diminutione exierit de potestate parentis, veluti morte eius aut quod ipse flamen Dialis inauguratus est. Ulpian. fr. X 15 5 in potestate parentum esse desinunt et hi, qui flamines Dial[e]s inaugurantur et quae virgin[e]s Vest[a]e capiuntur * * * *cf. fr. 39.*

Interpol. Serv. Aen. IV 103 quae res ad farreatas 15

---

manum flaminis conveniret. Gaius I 130 praeterea . . . inaugurentur, et feminini sexus, si virgines Vestales capiantur (*cf. fr. 66 a*). ib. III 114 is autem, qui in potestate patris est, agit aliquid, sed parenti non adquirit, quamvis ex omnibus ceteris causis stipulando ei adquirat; ac ne ipsi . . . inauguratus est.

15 Interpol. Serv. Aen. IV 103 quoque omnis iste mos coemptionis et citra nominis nuncupationem dotis datae taxatione expediretur, quae res in manum conventio dicitur, subiunxit 'dotalesque tuae Tyrios permittere dextrae'. quid est enim aliud 'permittere (*add Masvicius*) dextrae', quam in manum convenire? quae conventio eo ritu perficitur, ut aqua et igni adhibitis, duobus maximis elementis, natura coniuncta habeatur: quae res . . . convenire. sciendum tamen in hac conventione Aeneae atque Didonis ubique Vergilium in persona Aeneae flaminem, in Didonis flaminicam praesentare. Gaius inst. I 112 *cf. fr. 12.* Interpol. Serv. Aen. IV 339 et hic Aeneam inducit agentem nullo se matrimonii iure posse constringi, qui neque (*'fort.* nequaquam' *Thilo*)

---

[5] (pluresque . . . vitarentur) *ita Madvig, Advers. crit. II p. 546*; *post* vitarentur *lacunam suspicati sunt Lipsius, Nipperdey* [8] quod *Rhenanus* quo *cod. Mediceus* [9] flaminium *Med. corr.* [19] farreatas] faciendas *Ambros*

nuptias pertinet, quibus flaminem et flaminicam iure pontificio in matrimonium necesse est convenire. Gaius inst. I 112 flamines . . Diales . . ne ipsi quidem sine confarreatione sacer-
5 dotium habere possunt. *cf. fr. 40.*

16 Interpol. Serv. Aen. IV 374 sane etiam hic mentio caerimoniarum inducitur: mos enim apud veteres fuit flamini ac flaminicae, dum per confarreationem in nuptias convenirent, sellas duas iugatas
10 ovilla pelle superiniecta poni eius ovis, quae hostia fuisset, ut ibi nubentes velatis capitibus in confarreatione flamen ac flaminica residerent.

17 Interpol. Serv. Aen. IV 262 quidam pontificalem ritum

---

confarreatione Didoni coniunctus fuerat, ut flamini ac flaminicae convenit: ait enim 'nec coniugis umquam praetendi taedas, aut haec in foedera veni'. et 'taedas' quidem quantum ad ignem pertinet, per quem mos confarreationis firmabatur, dixit: scilicet ne aut legitime iugatam contra fas reliquisse videretur, aut foedus, id est fidem rupisse perpetuae castimoniae, quia cum fuissent iuncti, scirent tonuisse: quae res dirimit confarreationes *e. q. s.*

16 Interpol. Serv. Aen. IV 374 sane . . . residerent: quod hic Dido meminit, cum queritur se ab Aenea contra ius nexus maritalis deseri, his verbis 'regni demens in parte locavi': 'locata' enim uxor dicitur, quod simul cum eo sedeat, dum confarreatur. *cf.* Paul. p. 114 in pelle lanata nova nupta considere solet, vel propter morem vetustum, quia antiquitus homines pellibus erant induti, vel quod testetur lanificii officium se praestaturam viro.

17 Interpol. Serv. Aen. IV 262 *de laena*: alii amictum rotundum: alii togam duplicem, in qua flamines sacrificant infibulati . . . quidam pontificalem . . . debere. secespita autem est culter oblongus ferreus, manubrio eburneo, rotundo, solido, vincto ad capulum argento auroque, fixo clavis aeneis, quo flamines (flamines *inseruit Masvicius, cf. Fest. p. 348 Paul. p. 349*), flaminicae, virgines pontificesque ad sacrificia utuntur, eaque iam sacra est. appellatur autem secespita a secando. hic ergo Vergilius in Aenea, quem sacratum intel-

---

[2] convenire necesse est *Ambros* [8] ferreationem *F* conferra^re^tionem *T* (re *superscripsit alià man.*) farreationem *Ambros* [9] ouilla *F* ouina *T* ouili *Ambros* [11] ut ibi] ut *Thilo* et *codd* ibi . . . flaminica *om Ambros* [12] quonfarreatione *F* confer^re^ratione *T* siderent *Ambros*

hoc loco expositum putant. veteri enim religione pontificum praecipiebatur inaugurato flamini vestem, quae laena dicebatur, a flaminica texi oportere: quam vestem cum cultro, quae secespita appellabatur, † uti debere. *cf. fr. 18 et de secespita fr. 51.* 5

18 Interpol. Serv. Aen. IV 263 sane hoc loco docuit flamini a flaminica fieri vestem oportere, cuius lanam ipsa per se et nere debeat et texere. *cf. fr. 17.* 10

19 Gell. n. a. X 15, 32 verba M. Varronis ex secundo rerum divinarum super flamine Diali haec sunt: 'is solum album habet galerum, vel quod maximus, vel quod Iovi immolata hostia alba id fieri oporteat'.

---

legere vult, omnia supra dicta latenter amplexus est: nam inaugurationis meminit, cum dicit ⟨252⟩ 'paribus nitens Cyllenius alis' et ⟨254⟩ 'avi similis' et ⟨255⟩ 'volat aequora iuxta': ostendit enim Aeneam auspicato et iussum a Carthagine abire. togam autem duplicem, quam purpuream debere esse non dubium est, hoc versu declarat 'Tyrioque ardebat murice laena'. secespita autem, quoniam gratum non erat ipsius nominis facere mentionem, ita meminit 'stellatus iaspide ensis erat'. ensem ergo pro cultro longiore debemus accipere; stellatum autem pro 'clavis aeneis vinctum'. iaspidem autem ideo intulit, ne totus a rege discedere videretur: cui propositum est veterum caerimoniarum ritum aliud agens contingere. Plutarch. Num. 7 *καὶ γὰρ ἃς ἐφόρουν οἱ ἱερεῖς λαίνας ὁ Ἰόβας χλαίνας φησὶν εἶναι.*

18 Interpol. Serv. Aen. IV 263 sane . . . texere: non enim dixit 'fieri iusserat' aut 'miserat'.

19 Interpol. Serv. Aen. II 683 Suetonius (*fr. 168 p. 268 Rff.*) tria genera pilleorum dixit, quibus sacerdotes utuntur, apicem tutulum galerum: sed apicem pilleum sutile circa medium virga eminente, tutulum pilleum lanatum metae figura, galerum pilleum ex pelle hostiae caesae. Isidor. orig. XIX 30, 5 galerum pilleum ex pelle caesae hostiae factum; pilleum autem dictum a pelle hostiae unde fiebat.

---

[1] putant] uolunt *Ambros* [4] quae] qui *T* secepita *F* [5] appellatur *Ambros* † uti debere] geri oportere *Masvicius* qua veste . . uti deberent coni *Hagen* [8] flamini a] flamina *F* [11] M. Varronis] *M. Ter. Varr. ant. rer. div. lib. II fr. 4 p. CXIII Merkel* [12] solum] solus *edd. vet.* [14] alba id fieri *QZBTYσ* albato fieri *XOΠN* albata fieri *Freinshemius* alba fieri *Carrio*

Paul. p. 10 albogalerus a galea nominatus. est enim pileum capitis quo Diales flamines id est sacerdotes Iovis utebantur. fiebat enim ex hostia alba Iovi caesa, cui affigebatur apex virgula oleagina.

20 5 Serv. Aen. VIII 664 flamines in capite habebant pilleum, in quo erat brevis virga desuper habens lanae aliquid. quod cum per aestus ferre non possent, filo

---

20 Serv. Aen. VIII 664 flamines ... fuerat: unde a filo, quo utebantur, flamines dicti sunt quasi filamines (*ita R*, filiamines *AS*, *corr as*). verum ... accipere, quae secundum alios ad ostendendam sacerdotii eminentiam sunt reperta . . alii dicunt non propter eminentiam dignitatis hoc factum, sed quia, cum sacrificarent apud Laurolavinium et eis exta frequenter aves de viciniis venientes lucis abriperent, eminentia virgarum eas terrere voluerunt. exinde etiam consuetudo permansit, ut apud Laurolavinium ingentes haberentur virgae (haberent uirgas *LF*). Interpol. Serv. Aen. X 270 possumus tamen 'apex capiti' accipere utrumque eum fuisse conplexum cum dicit 'ardet apex capiti cristisque a vertice flamma funditur' (cum dicit ... funditur *secludenda videntur Thiloni*), et sacerdotis per apicem et viri fortis facere mentionem. dicitur ... conligata erat, unde etiam flamines vocabantur. hoc autem nomen a veteribus tractum est: apere enim ... dicebant, unde apicem dictum volunt. Serv. Aen. II 683 apex proprie dicitur in summo flaminis pilleo virga lanata, hoc est in cuius extremitate modica lana est: quod primum constat apud Albam Ascanium statuisse. Suetonius ap. Interpol. Serv. Aen. II 683 = fr. 168 p. 268 Rff. *cf. adn. fr. 19.* Paul. p. 87 flamen Dialis dictus, quod filo assidue veletur, indeque appellatur flamen quasi filamen. Dionys. Halic. II 64 *τὴν δὲ δευτέραν* (*sc. ἱερουργιῶν διάταξιν*) *τοῖς καλουμένοις ὑπὸ μὲν Ἑλλήνων στεφανηφόροις, ὑπὸ δὲ Ῥωμαίων φλάμοσιν, οὓς ἐπὶ τῆς φορήσεως τῶν πίλων τε καὶ στεμμάτων, ἃ καὶ νῦν ἔτι φοροῦσι φλάμα* (*φλάμεα Scaliger Cast. in Fest. s. v. 'apiculum' et Portus, φιλάμινα Turnebus*) *καλοῦντες, οὕτω προσαγορεύουσι.* Plut. Num. 7 *ἐκάλουν δὲ καὶ τοὺς προγενεστέρους φλάμινας ἀπὸ τῶν περικρανίων πίλων, οὓς περὶ ταῖς κεφαλαῖς φοροῦσι, πιλαμένας τινὰς ὄντας.* Varro l. l. V 84 flamines, quod in Latio capite velato erant semper ac caput cinctum habebant filo, flamines dicti. Commenta Bernens. Lucan. I 604 p. 40 Us.: et tollens apicem] quoniam pileati sunt virgulam super habentes dignitatis causa. Paul. p. 18 apex, qui est sacerdotum insigne, dictus est ab eo quod comprehendere antiqui vinculo apere dicebant. ib. p. 22 ape apud antiquos dicebatur prohibe, compesce.

---

[7] ferre] portare *F*

